K. 2 76.

PAPISMUS Regiæ Potestatis EVERSOR.

Reverendus admodum Episcopus *Lincoln.* *Anglicè* scripsit. (Thomas Barlow)
Robertus Grovius S. T. B. De *Anglicano Latinum* fecit:
Justitiam *Britannicam*, & alia quædam, adjici curavit.

Quibus ab alio adjunguntur

MONARCHIA SOLIPSORUM

E T

CONCLAVE IGNATII.

LONDINI,

Prostant venales apud *Jacobum Collins*, & *Samuelem Lowndes*, in vico vulgò vocato **The Strand**, è Regione **Exeter Exchange**. 1682.

K.3.76.

Collegium S.S. et Individuæ
Trinitatis in Academia
Cantabrigiensi

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

Celsissimo & Illustrissimo Principi

RUPERTO

Comiti Palatino *Rheni*;

Duci *Bavariæ*, & *Cumberlandiæ*;

Comiti de *Holderness*;

Totius *Angliæ* Vice-Admirallio;

Regiæ Majestati à Consiliis;

Aureæ Periscelidis Equiti; &

Castelli Regii *Windesoriensis*
Constabulario.

Illustrissime Princeps,

CVm intelligerem illud tibi non ingratum fore, si quis Reverendi admodum, doctissimique Episcopi Lincolniensis

colnienſis tractatum, quem ille de quibuſdam Pontificiorum Principiis conſcripſerat, in Latinum converteret; id me ultrò facturum recepi. Non ignorabam quàm fuerim ad eam rem parum idoneus, & tamen aggreſſus ſum; quicquid enim acciderit, ſpes erat non eum reprehendi debere, qui tanti Principis voluntati obſecundare ſtuduit. Ab ineunte ferè ætate res maximas terrâ, marique geſſeras; & militari gloriâ ſemper apud omnes floreras: at tibi ſtatutum eſt cœleſtes etiam Palmas decerpere; qui bellicam laudem cum rectæ Religionis curâ, & amore conjunxiſti. Eccleſiam Anglicanam, contra

Roma-

Romanenſium vim, ac fraudis invicto animi robore defendis: Neque quis te unquam ab hoc inſtituto aut minis, aut dolo, aut argutiis depellere poterit; adeò ſemper obſtinatus ad Bonum, rectique pertinax fuiſti. Hoc in te Angli gratiſſimè agnoſcimus; hoc in te mirantur exteri, hanc tibi mentem indies magis, magiſque confirmet Deus; téque poſt annos quàm plurimos, maximo clementiſſimi Regis hujuſq; regni commodo tranſactos, ad cœleſte tandem gaudium perducat: Quod ex animo precatur

Celſitudinis tuæ

Cliens, Cultorque Humillimus,

Rob. Grove.

PAPISMUS
Regiæ Poteſtatis Everſor:
SIVE
TRACTATUS

In quo oſtenditur

Eccleſiæ Romanæ Principia
Eſſe Regibus, & Principibus univerſis,
præcipuè verò Proteſtantibus,

Tum Periculoſa, tum Pernicioſa.

Reverendus admodum in Chriſto Pater
THOMAS BARLOVIUS Epiſc. Linc.
Anglicè ſcripſit.

Robertus Grovius S. T. B.
De Anglicano Latinum fecit;

JUSTITIAM BRITANNICAM
& alia quædam adjici curavit.

LONDINI,
Veneunt apud Bibliopolas. 1681.

Ad Lectorem.

POstquam ad ſcriptum hoc Latine vertendum acceſſi, quod temerè forſan ſuſceperam, horis ſuccisivis utcunque perfeci; ſi non quâ debueram elegantiâ, quâ poteram certè fide. Dedi enim operam ut omnia, ſi minus pure, ſaltem perſpicue, & ad clariſſimi Authoris mentem appoſite dicerentur. Ab eâ nunquam volens aberravi, ſi quando imprudentiâ lapſus ſim, & ipſius & tuam Lector, veniam peto.

Quoties occurrebat Legis alicujus, aut Edicti regis particula, eam ſemper ferè ad verbum reddidi; unde hîc nonnulla reperies, quæ exteris fortaſſe mira videbuntur.

Reformatos omnes, recepto nunc vocabulo plerumque Proteſtantes *voco; Angliæ* Coronam Imperialem *dico; quod legibus noſtris uſitatum eſt, præſertim ubi*

de Suprematu *agitur*; *non aliâ, opinor, de causâ, nisi quòd qui hanc hæreditario jure acceperit, summum apud nos in omnibus Imperium habeat.*

Quid hîc doctissimus Præsul præstiterit, facilè perspiciet, quisquis ad hujus Tractatûs lectionem libero ab affectibus & partium studiis animo accesserit. Rem omnem ita luculentis celeberrimorum Authorum, Pontificum, Legum, & Conciliorum testimoniis evicit; ut nefarium illud de Principibus deponendis, & occidendis dogma, Romanam Ecclesiam approbâsse, negari non posse videatur. Tum multa vix temerè alius fortasse quisquam; ipse his, si opus fuisset, longè plura addere poterat.

Huic nunc opusculo adjunctus est libellus qui Justitia Britannica *inscribitur. Eum olim Nobilissimus, sapientissimusque vir* Gulielmus Cecilius *summus Angliæ* Thesaurarius *conscribi, & in varias Linguas converti curavit. Cum enim Pontificii suos indignè habitos, miserrimè afflictos, extremoque supplicio affectos, solius Religionis causâ, quererentur; hoc scriptum emitti voluit vir prudentissimus, ut scirent omnes maximam nobis injuriam fieri. Cum ii merito*

ritò pœnas darent, non quòd se Catholicos dici vellent; sed quòd præstantissimæ Reginæ insidias ponerent, hujusque Ecclesiæ, Reique publicæ statum perturbarent.

Latæ sunt in Romano-Catholicos leges quædam, quæ paulo duriores videri possunt; sed cum illi nullum (a) conjurandi finem facerent, eaque jactarent in vulgus quæ cum Regum dignitate, & salute stare non poterant; clementissimos Principes ad hanc severitatem suo scelere, & audaciâ impulerunt.

(a) Vid. *Cambden.* Eliz. An. 1582. & An. 1585. *Bacon* in felic. memor. Eliz. Angl. Reg.

Sacerdotes Pontificii, ex subditorum numero si fuerint, in Angliam venientes, capite luunt. Verum cum illi Reges Hæreticos deturbandos, atque interficiendos dicerent; quis istos sicarios in sua regna impune venire pateretur, nisi hanc priùs insaniam ejuraverint?

Et tamen hæ ipsæ leges non alium ad finem scriptæ videntur, quàm ut illi, periculi magnitudine perculsi, hinc aliquò aufugerent, atque una secum à nobis insidiarum & turbarum metum asportarent. Quicunque enim ex hoc hominum genere capti, occisique sunt, non Religionis, ut illi clamitant, sed Perduellionis damnati pœnas dederunt.

5. Nostrâ certe memoriâ nemo morte mulctatus est, quòd sacerdos esset; antequam patefacta esset teterrima in Regum optimum serenissimumque Carolum *conjuratio; testibusque compluribus, certissimisque indiciis comperta. Veniebant illi in Anglia frequentes, noti erant, præteriuntium digitis monstrabantur; eorum autem nullus, quod sciam, comprehensus, nullus in capitis judicium vocatus est.*

Postquam verò manifestum erat illos de Rege occidendo, de urbe incendendâ, de optimis quibusque trucidandis, de hujus Regni reformatæque Religionis statu commutando cogitare; conquisiti sunt ad pœnam, eorumque aliquot, quia in Regem conjuraverant, alii, iique per omnem Angliam pauciſſimi, eâ quæ est de sacerdotibus lege damnati, & capitali supplicio affecti; cum omnes qui hîc hoc tempore remanserant, de eodem scelere meritò suspecti essent. At nos profectò dolemus homines temerarios suo furore, & contumaciâ hanc sibi calamitatem attulisse. Sciebant quid iis leges minarentur; etiam antehæc Regiis edictis jussi sunt discedere; portus aperti abeuntibus, mare navigantibus liberum erat;

cum

cur non illi fugâ ſibi maturè conſulebant.

Veræ, inquiunt, Religionis propagandæ gratiâ venimus. Non equidem credo. Nam nobis ad hanc rem eorum auxiliis non eſt opus. Maximo Dei beneficio viget apud nos floretque Chriſtiana Religio, nullâ poſteriorum ſeculorum ſuperſtitione deformata, ſed ad primitivæ Eccleſiæ normam, quantum fieri potuit, emendata. Abunde eſt hominum doctorum qui ſacros ordines ritè capeſſunt, qui populum rectam fidem ſedulo edocent, & ad pietatem, atque omne honeſtatis officium inſtituunt. Nos itaque ſacrificulis, miſſarum nundinatione, imaguncularum, & ſanctorum cultu, indulgentiis, igne purgatorio, reliquiſque Pontificiorum commentis & erroribus æquo animo caremus.

Sed illi his multo deteriora ad nos afferunt; Reges à Pontifice dejici poſſe aiunt, atque à ſubditis, interfici; atque hinc ſæpe ad infanda quæque contra ipſos molienda accenduntur; atque in ſcelere deprehenſi, omnia æquivocationibus, quas vocant, novóque mentiendi artificio obtegunt, & ad extremum uſque ſpiritum ſtrenuè pernegant. Cætera quidem ut

ſ. Noſtrâ certe memoriâ nemo morte mulctatus eſt, quòd ſacerdos eſſet; antequam patefacta eſſet teterrima in Regum optimum ſereniſſimumque Carolum *conjuratio; teſtibuſque compluribus, certiſſimiſque indiciis comperta. Veniebant illi in Anglia frequentes, noti erant, præteriuntium digitis monſtrabantur; eorum autem nullus, quod ſciam, comprehenſus, nullus in capitis judicium vocatus eſt.*

Poſtquam verò manifeſtum erat illos de Rege occidendo, de urbe incendendâ, de optimis quibuſque trucidandis, de hujus Regni reformatæque Religionis ſtatu commutando cogitare; conquiſiti ſunt ad pœnam, eorumque aliquot, quia in Regem conjuraverant, alii, iique per omnem Angliam pauciſſimi, eâ quæ eſt de ſacerdotibus lege damnati, & capitali ſupplicio affecti; cum omnes qui hîc hoc tempore remanſerant, de eodem ſcelere meritò ſuſpecti eſſent. At nos profectò dolemus homines temerarios ſuo furore, & contumaciâ hanc ſibi calamitatem attuliſſe. Sciebant quid iis leges minarentur; etiam antehæc Regiis edictis juſſi ſunt diſcedere; portus aperti abeuntibus, mare navigantibus liberum erat;

cur

cur non illi fugâ ſibi maturè conſulebant.

Veræ, inquiunt, Religionis propagandæ gratiâ venimus. Non equidem credo. Nam nobis ad hanc rem eorum auxiliis non eſt opus. Maximo Dei beneficio viget apud nos floretque Chriſtiana Religio, nullâ poſteriorum ſeculorum ſuperſtitione deformata, ſed ad primitivæ Eccleſiæ normam, quantum fieri potuit, emendata. Abunde eſt hominum doctorum qui ſacros ordines ritè capeſſunt, qui populum rectam fidem ſedulo edocent, & ad pietatem, atque omne honeſtatis officium inſtituunt. Nos itaque ſacrificulis, miſſarum nundinatione, imagunculorum, & ſanctorum cultu, indulgentiis, igne purgatorio, reliquiſque Pontificiorum commentis & erroribus æquo animo caremus.

Sed illi his multo deteriora ad nos afferunt; Reges à Pontifice dejici poſſe aiunt, atque à ſubditis, interfici; atque hinc ſæpe ad infanda quæque contra ipſos molienda accenduntur; atque in ſcelere deprehenſi, omnia æquivocationibus, quas vocant, novóque mentiendi artificio obtegunt, & ad extremum uſque ſpiritum ſtrenuè pernegant. Cætera quidem ut

leviora fuerint, hæc planè nefaria & horrenda nullo modo ferri possunt. Si qui igitur adhuc lateant hîc sacerdotes Pontificii; eos rogo, atque amicè moneo, ut quàm primùm de hujus Regni finibus exeant; sic se magno fortasse periculo, nos sanè ingenti metu liberabunt: nunquam enim Anglia in tuto collocari poterit nisi inter nos, & ipsos Oceanus intersit.

Sed si de Legum nostrarum sævitiâ conqueri non desinunt; revertantur ad suos, quos Catholicos vocant, atque ipsi quid agant, depositis animorum affectibus expendant. Illi non sacerdotes modo, sed vel ex infiniâ Laicorum gente viros, Hæreticæ, *quam dicunt,* pravitatis *condemnatos flammis dedunt. Ne externa quæramus; novimus quid hîc regnante* Mariâ, *quid antea gestum fuerit; quot omnium ordinum homines ignibus tradiderint; non quòd aliquid adversus Remp. aut machinati fuerint, aut docuerint, sed quòd gravissimos horum errores rejicerint: unicus eos interficiendi prætextus, quòd Recta sentirent. Hæc autem laudant, accuratèque defendunt, qui nos acerrimè damnant.*

Vide

Vide quàm cæcus sit animus partium studio præceptus! Illi mansueti, leves, pii, misericordes; qui plurimas mortales propter aliquem, ut arbitrantur, mentis errorem vivos exurunt: Nos immites, inhumani, crudeles; Barbaris omnibus immaniores, qui apertos Reip. hostes, eosque non multos, de patibulo suspendimus, & mortuorum viscera patrio more concremamus.

Sed ut eò revertar unde digressus sum; non solent hîc sacerdotes, nisi propter nefarias Conjurationes, maximumque legum contemptum, extremo supplicio affici. Quod & olim factum fuisse, in eâ, quam nunc denuò damus, Justitiâ Britannicâ *clarius ostenditur.*

Opposita est huic scripto (a) Responsio *bene longa, quæ* Guilielmi Alani Cardinalis *esse dicitur. At est illa quidem conviciorum, & minarum, quàm argumentorum plenior. Nihil est contra Reges insolentius, nihil de Pontificum potestate arrogantius dictum, quod non ille acerrimè defendat. Fassus est* (b) Guilielmus Parrius *se hujus libri lectione, ad sereniſſimæ* Elizabethæ *cædem vehementer incitatum, & obfirmatum fuisse.*

(a) Ad Persecutor. Angl. pro Catholicis Respons.

(b) Cambden in *Eliz.* Ann. 1585.

Justitiæ

Juſtitiæ Britanniæ *adjunctum erat ſcriptum breve* de Torturis; *quod hic etiam iterum excuſum eſt. Ex eo cognoſci poteſt quàm iniquè de Proteſtantium crudelitate conqueſti fuerint Pontificii. Sic enim illi de noſtris queritari ſolebant, quaſi non & aliis gentibus uſitatum foret, maximè cum arderent conjurationes, de maleficis quæſtiones habere; quaſi in Angliâ, idque regnante* Elizabethâ *eculeus primùm viſus eſſet. Quid tum factum fuerit ex hoc ſcripto intelligi poteſt. Qui ſecuti ſunt Principes, quamvis in ipſos Pontificii horrenda admodum non ſemel deſignaverint, quâ tamen erant clementiâ, nemini unquam tortorem, & cruciatus adhiberi voluerunt.*

Quæſtiones propoſitas ſeptem ſacerdotibus, & ipſorum ad eaſdem Reſponſiones, *prout à Pontificiis editæ ſunt, hîc etiam appoſui. Ut intelligerent omnes quales illi* Martyres *habeant; cum ex hoc numero nemo repertus fuerit, qui aut non ſit ineptè tergiverſatus; aut non apertè pro Pontifice, contra omnium Regum majeſtatem reſponderit. Idem & alii complures fecerunt.*

His

His denique nonnulla de Jacobo Fenno *Adjicere visum est. Quòd cum is primùm, de Reginâ satis modestè respondisse videretur; postea tamen ut scires ipsum simulandi peritissimum, fanatico quodam furore correptus Pontificem attollit, Reginam dejicit, eique ruinam, & excidium vaticinatur. Hunc autem iracundiâ & amentiâ, non spiritu divino afflatum fuisse, eventus insanæ prædictioni contrarius planissimè ostendit. Regina enim multos post annos summo in honore vixit, felicissimè regnavit, & in Pace decessit; hic verò vates, & egregius rerum futurarum præmonstrator, quòd in illius necem conspiraverit, sceleris sui pœnas dedit.*

Atque de his Pontificii tanquam de sanctissimis Martyribus *gloriari etiam solent. Illis quidem liberum est, quod velint facere; de nequissimis autem Parricidis longe aliter senserunt nostri homines; qui rem omnem subtiliter rimati sunt, & horum fraudes & insidias diligentissimè perveſtigarunt. Aut ut defuissent alia sceleratæ conjurationis indicia; quis non de his facilè credidisset? Erat* Elizabetha *à* Pio *Quinto deposita, subditi à fidelitatis juramento absolu-*

absoluti; & quid in eum isti non auderent machinari, qui putant Pontificem posse Regum quemlibet regno vitâque spoliare? Illud quidem de se fatebantur plerique, nullus negavit.

Hunc igitur nefandum errorem abjiciant oportet, si Angliæ leges sacerdotibus æquiores fieri volunt. Neque hoc unus, aut alter de Clericorum plebe faciat; sed qui nunc Romæ *Pontificatum habet* Innocentius *hâc se potestate abdicet; idque, si fieri potest, in maximo totius orbis Concilio; sin minus, in Cardinalium Collegio; iisque illi de hoc gradu cedenti plenissimè assentiantur; faciant idem Ecclesiæ Romanæ Episcopi, Presbyteri, & omnes Regularium, qui dicuntur, ordines. Et si quis posthæc hanc Principes deponendi potestatem, vel Pontifici, vel cuiquam mortalium tribuere ausus fuerit; eum, quasi* Hæreticorum *pessimum, gravissimo* Anathemate *feriant. Tum quod Viris bonis, quod Christianis, quod Catholicis dignum est fecerint. Hoc est fateantur clarissimos ipsorum Authores multa sceleratissimè scripsisse; Concilia etiam Generalia turpiter errâsse; Pontifices fungos, imò faces fuisse; qui terrarum orbem toties incenderint; qui omnia cæde ac ruinis, & vastitate comple-*

compleverint. Hæc ita bonâ fide statuere si vellent; nescio annon in Angliâ cum sacerdotibus molliùs ageretur. Sed & nunc flagrante Conjuratione nulli plectuntur, nisi qui olim jussi discedere noluerunt; & horum etiam plures satis est mitissimo Principi in vinculis asservari; ne hoc tempore res novas moliantur.

At ego te Lector, in meis legendis diutiùs non morabor. Nunc ipsum doctissimum Presulem de rebus gravissimis Latinè differentem audiamus.



Optabilior est Pur quam Mendax assiduus utrique vero Perditionis hereditatem consequentur Eccles 20 vers 25

Page

Ad Honoratiſſimum

AMICISSIMUMQUE VIRUM

L. N. P.

ACcepi Literas tuas, eáſque avidiſſime perlegi, meáſque ad te perſcribo, ut ea de re certior fias, ſimúlq; ut te plurimum ſalvere jubeam. Scribis primúm de atrociſſima Papiſtarum conjuratione (quam tu Romano-Catholicam vocas) de ſacratiſſimo clementiſſimóque Rege (quem Deus quàm diutiſſimè incolumem ſervet) aliiſque plurimis de medio tollendis; ut Religionem hujus regni legibus firmatam funditus evertant, papalémque tyrannidem, cultúmque ſuperſtitioſum ac idololatricum quaſi poſtliminio reducant. Barbarum certè facinus ac inhumanum, hominibúſque Chriſtianis planè indignum; quódque omnem Turcarum, Paganorúmque immanitatem longo poſt ſe intervallo relinquit; cuíq; in omnium gentium Annalibus haud facilè quicquam ſimile reperias, niſi fortè *lanienam* Anno 1572. vid. Thuan. *Pari-*

Pariſienſem exceperis, aut etiam *Hibernicam*, eámque quam nos Conjurationem *nitro-ſulphuream* dicimus. Quæ omnia inventa, patratáque ſunt à Papiſticæ factionis hominibus, qui quidlibet audent, etiam multa mortalium millia ſæviſſimè contrucidare, ut Eccleſiæ Romanæ commodum adaugeant.

Deinde, ais, Pontificiæ Religionis aſſeclas clamitare teterrimam hanc conjurationem nihil aliud eſſe quam Politicorum quorundam figmentum, quo Catholicos (ſic enim dici amant) omnium odio, populíque furoribus objiciant. Quod quidem ipſos prædicare facilè crediderim. Etenim ut ſcelera & conjurationes in Remp. ita horum hominum audacia in compertis negandis, minuendíſve (niſi nobis olim probè noti eſſent) omnem ſanè fidem excederet. Sic etiam dicunt *Conjurationem nitro-ſulphuream*, ubi illud tutò poſſunt, *Commentum Politicum* fuiſſe, ut innocui, ſi Diis placet, viri falſis criminibus damnarentur. Ais denique complures Pontificios (quo Papiſmum, ſéque ſuóſque faciliùs defendant) perſanctè affirmare; ut maximè verum fuerit quoſdam in optimi Regis caput, regníque perniciem conſpiraſſe, quod nos pertendimus; illud tamen hominum

Calendar. Catholic. 1662.

minum, non Papiſticæ Religionis culpâ accidere; Eccleſiæ enim Romanæ doctrinam impiis id genus conatibus neque favere, neque animos addere. Quod etiam ego eos jactare arbitror, idem enim ipſos alias factitâſſe video: Cum, omni pudore abjecto, ſcripto in lucem dato innuere audeant; *Se non levibus tantùm conjecturis comperiſſe*, *Conjurationem* (quam ſæpius commemoro) *nitro-ſulphuream, fuiſſe Cecilii aſtuti hominis inventum, ut omnium odium in Catholicos accenderet; perpaucos certè fuiſſe iſtius ſectæ, eóſque deſperatæ fortunæ viros, tam nefarii criminis convictos: cùm Catholici graves ac ſobrii ad unum omnes ab ejuſmodi auſis ſummopere abhorrerent.* Et tamen à *Ribadeneira*, *Bzovio*, aliiſque infames iſti Parricidæ inter clariſſimos Eccleſiæ Romanæ *Martyres* numerantur: uti infrà oſtendam. Et *Parſonius Garnettum*, de quo propter horrendum illud ſcelus ſupplicium ſumptum eſt, *Virum innocentem vocat, ipſúmque injuriâ, morte multatum eſſe*, ait; *ſanctiſſimè enim vixiſſe, & fæliciſſimè, dum juſtitiam defenderet, obiiſſe.*

Calendar. Cath. circa finem.

Diſcuſſ. Reſpon. D. Barlo. Anglice edit. pag. 22,23.

His itaque præmiſſis, ſcire aves quid ſentiam de hiſce quas obtendunt argutiis. Si verò eas pro futilibus, ac leviſſimis habeam, ut certè habeo; tum ut tibi

edicam rogas quibus rationibus inductus ſic ſtatuam. Ut tibi igitur morem geram, hujúſque rei veritatem eruam, atque Eccleſiam Anglicanam (uti par eſt) ab iniquis criminationibus pro virili mea parte defendam; quanquam in præſentiâ neque otio, neque libris abundem; pauca tamen dicam ad illud quod inſtitui attinentia, quibus adverſariorum os obſtruatur, tibique, uti ſpero, ſatisfiat.

Ponam itaque primum Theſin ipſam quam tuendam ſuſcepi; deinde quibus argumentis, rationibúſque probari poſſit.

Ad Theſin ipſam quod attinet, dico, *Doctrinam & principia Papiſmi ab Eccleſia Romana comprobata (ſi quis iis fidem habuerit, & ad eorum normam ſeſe compoſuerit) non tantùm periculum, verùm etiam perniciem Regibus, præcipuè Proteſtantibus, afferre; indubitato Monarcharum juri derogare; neque cum obedientia, ſive naturali, ſive divina lege iis debita, ſtare poſſe; ſpeciatim vero cum ea pugnare quam ab omnibus exigunt Regni Anglicani ſtatuta, quæ olim contra Papalem tyrannidem ferebantur; cùm Reges ipſi, Senatúſque omnis Pontificiam Religionem amplecterentur.*

Quoniam autem, niſi prius nobis perſpectum fuerit quæ ſint Regum noſtrorum *Jura*, & *Prærogativæ*, clarè oſtendi non

non poteſt quo pacto Papiſmi dogmata iis periculum, atque perniciem minitentur; Diſpiciendum erit primum, (quantum ad præſens inſtitutum ſatis fuerit) quænam ſint ea quæ apud nos *Coronæ Jura* dicuntur: Deinde quomodo hæc cum Papiſticæ Doctrinæ principiis conſiſtere nequeant.

Ad primum quod ſpectat; nemo opinor negaverit *Regimen Angliæ* eſſe *Monarchicum*; Regéſque noſtros eſſe hujus regni, omniúmque quibus ipſi præſunt Ditionum *ſolos ſupremóſque Gubernatores*; cum illud toties diſertis verbis occurrat in legibus, ſtatutíſque quæ ſummam apud nos vim obtinent. Atque hoc etiam in Juramento quod *Supremat*ûs dicitur, Deo teſte affirmamus. Si verò Rex ſupremus ſit, tum nemo illo, ne Papa qûidem, ſuperior eſſe poteſt: ſi etiam ſolus ille Supremus, tum nemo illi æqualis reperitur, aut qui parem cum eo in hiſce regnis poteſtatem habeat. Notiſſimæ ſunt omnibus leges quæ *Regem ſolo Deo minorem* faciunt, talémque ei *ſuprematum* tribuunt, ut neque *Papam*, neque *Populum*, neque quenquam alium, præter unum Deum, quicquam in eum Juris, aut Authoritatis habere patiantur. Namque hunc Reges noſtri *Suprematum* legibus ſibi vendicant, non tantum iis quæ ſub

[a] Vid. Stat. 1. Eliz. c. 1. 5 Eliz. c. 1. & 13 Eliz. c. 2.
[b] Vid. 1 Jac. c. 7. & 3 Jac. c. 4.
[c] Vid. 12 Car. II. c. 30.
[d] Stat. 16. Rich. II. c. 5.
[e] Stat. 24. H. 8. c. 12. & 25 H. VIII. c. 19. & 37 H. VIII. c. 17. & 26 Hen. VIII. c. 1.
[f] Parl. secund. 2 Mariæ c. 1.

[a] *Elizabetha*, [b] *Jacobo*, [c] *Carolóque* Secundo, verùm etiam iis quæ à Regibus, Senatibúsque Pontificiis latæ sunt. Ego de pluribus [d] *Richardum* Secundum, [e] *Henricum* Octavum, [f] *Mariámque* Reginam tantùm nomino. Clarissimum est *Richardum* Secundum, Senatúmque qui sub illo convenerat Romano-Catholicos fuisse. Neque minus certum est *Henricum* Octavum, Ordinúmque Conventus sub illo habitos eandem Religionem coluisse. Satis enim constat leges hasce esse latas Anno Regni *Henrici* Octavi vicesimo quarto, quintóque, hoc est, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Tricesimo Secundo, Tertióque: Cum is eíque adhærentes non nisi aliquot post annis Ecclesiæ Romanæ communione privarentur. Quanquam enim iis graviter succenseret *Paulus* Tertius, telúmque quasi vibraret Anno 1535. illud tamen Anathematis fulmen in ipsos non conjecit ante Annum 1538. sex omnino annos postquam *Henricus*, Senatúsque qui sub eo erat Pontificius Coronæ Anglicanæ Jura strenuè asseruissent, adversus iniquos prætextus, eámque quam Papa sibi arrogaverat potestatem: plenéque declarâssent *Suprematum* tàm in Ecclesiasticis quàm Civilibus semper quidem

Bulla excom. Hen. VIII. Dat. Rom. 16. Cal. Jan. Pauli Papæ III. An. 5. vid. Bullar Cherub. Tom. 1. p. 504. Edit. Lugd. 1655.

dem de Jure ad Angliæ *Coronam Imperialem*, non ad *Mitram Pontificiam* ſpectaſſe: cùm Papæ nihilo plus Juris in Angliam eſſet, ſive divinis, ſive humanis legibus, quàm *Henrico* in Italiam. Quod verò alicui mirum videatur, Senatus ille etiam Pontificius qui ſub Maria habitus eſt, cujuſque ſupra in margine mentionem fecimus, eundem Reginæ *Suprematum* adjudicavit. Lex enim quæ tum lata eſt ſic habet, *Coronam hujus Regni Imperialem cum omnibus Prærogativis, Juriſdictionibus, &c. ad Reginam deveniſſe; Ipſam fuiſſe ſupremam Gubernatricem omnium quas tenebat Ditionum tam pleno, largo, & amplo modo quam quiſquam Progenitorum ſuorum*; Ergo eodem Jure quo *Henricus* Pater. Additur præterea, *Antiquiſſimis hujus Regni legibus ad Reges ſpectare, ut ſupplicium de quibuſcunque adverſus Regalitatem, legéſque hujus Regni peccantibus ſumerent, &c.* Certum eſt igitur, vel Senatum Papiſticum illud utique ſanxiſſe, Angliæ Reges eum in omnes *Supremátum* habuiſſe ut quoſcunque, ſive Clericos, ſive Laicos, qui quidem nocentes eſſent, debitis pœnis coercerent; idque antiquiſſimis hujus Regni legibus conſtare. Quàm ſit hoc Concilii Tridentini, Eccleſiæque Romanæ dog-

matib[9] contrarium, mox videbim[9]. Verum ut eum de *Suprematu* locum plenius explicatum habeas, dimitto te ad Juris noſtri Conſultiſſimos, qui eum clariſſimè demonſtrant, ſtrenuéq; tutantur, quicquid contra ſtultè & ſeditiosè cavillentur, qui Pontifici Romano addictiſſimi cùm ſint, omnem Regum reverentiam, omnem patriæ charitatem abjecerunt.

Vid. Coc. Rel. part. 5. de jure Regis Eccleſ. & Calvin. Caſ. Rel. 7. Davis. Relat. in caſu Præmunire.

Poſtremò autem de Regum *Suprematu*, quantum quidem ille lege Divina continetur, conſulas licet [a] *Academiæ Oxonienſis literas ad Henricum datas*, cùm ea de re ſententiam rogati eſſent. Inſpicias præterea [b] *Articulos Edvardi Sexti*, atque [c] *Elizabethæ*, necnon [d] *Hibernicos*, *Elizabethæ* [e] *Injunctiones*, *Canonéſque ſub* [f] *Jacobo*, [g] *Carolóque Primo Martyre* editos, (ne quid dicam de plurimis doctiſſimorum hominum ſcriptis.) In his autem omnibus clariſſimè perſpicies quid de *Suprematu*, eáque quæ Regibus debetur obedientia, ſemper ſenſerit Eccleſia Anglicana. Et in Bello Civili, quod nuper apud nos luctuoſiſſimum exarſit, qui hanc Eccleſiam ſequebantur Regi dictis, factíſque parebant, multo certè ſimpliciùs & cordatiùs quàm ut aut Papiſtæ, aut Presbyterani, aut Fanatici cum iis ſe conferre poſſint. Quanquam & illorum non-

[a] Vid. Liter. Acad. Oxon. Hen. 8. Dat. 27. Julii 1534.
[b] Artic. Edv. 6. 1552. Art. 36.
[c] Art. 5 Eliz. 1562. Art. 37.
[d] Artic. Hib. n. 1615. Sect. 57.
[e] Edit. 1559. in calce poſt injunct. 53.
[f] Canon 1603. Can. 1. 2.
[g] Can. 1640. Can. 1. &c.

nonnulli, ſatis ineptè, de ſua in Regem fide, & obſequio gloriari ſoleant. Quod ſi hac de re plura deſideres, *Imperatorum* [a] *Reſcripta*, & *Leges noſtras* [b] *Saxonicas* adire poteris; unde tibi pleniſſimè conſtabit Imperatores, atque Angliæ etiam Reges multa olim decreviſſe, & legibus latis conſtituiſſe non minus de rebus ad *Eccleſiam* quàm ad *Remp.* pertinentibus; atque iis quidem temporibus nemo unquam dubitavit quin illud pro Jure ſuo fecerint. Habeo etiam apud me Librum Archetypum Manuſcriptum, quem ſubſcriptis nominibus in frequenti Synodo comprobârunt Archiepiſcopi ambo, *Cantuarienſis* atque *Eboracenſis*, aliíque ex utraque Provincia complures. In eo autem planè evincitur, è Sacra Scriptura, antiquiſſimíſq; eorum temporum Actis, Reges ab initio Mundi ad uſq; Dom. noſtri adventum, talem ſemper de Jure *Supremátum* habuiſſe; præcipuè in Regno Judaico, quod erat divinitus conſtitutum.

[a] Vid. Cod. Theod. cum Gothofred. Not. & Cod. & Novel. Conſtic. Juſtin.

[b] Vid. Leg. Saxon. Lambert. Spelman. Conc. Tom. 7. Whel. &c.

Quæ cùm ita ſint: venio nunc ad illud quod ſecundo loco poſui, ut oſtendam quàm ſint *Principia Papiſmi* periculoſa, atque ubi vires reſpondent, pernicioſa Regibus, eorúmque Juribus & Prærogativis. Dico enim multa *Principia* ac *Dogmata* apud *Pontificios* communi uſu

usu *recepta* & *probata*, non posse cum *suprema Regum potestate* consistere. Affirmant enim penè omnes, & mille, opinor libris in lucem emissis datâ operâ probare conantur; Tantum abesse Reges, Imperatoréſque Supremi ut sint, ut etiam Papæ tanquam Domino subjiciantur, eíque obsequium & fidelitatem præstare teneantur. Hoc ut appareat magis, perpendas quæ sequuntur.

Sac. Cerem. S. Eccl. Rom. lib. 1. Tit. 5. p. 22. Col. 3. edit. Rom. 1560.

Cæsar ut primùm Pontificem videt, illum detecto capite, genu terram tangens veneratur: & iterum cum appropinquet ad gradus sedis Papæ, genuflectit, & demum cum ad Pontificis pedes pervenerit, illos devotè osculatur. Oportet ut vides Imperatorem, sese incurvando, & ad terram usq; demittendo, Papam venerari; atq; etiam aperto capite, & in genua procumbentem sacerrimos pedes dissuaviari. O inauditam, atque omnibus execrandam animi arrogantiam! Papa mendaciſſimè, & nullo, qui quidem probari possit, prætextu, ridendum sanè in modum se Christi Vicarium esse contendit; atque ut esse concedamus, Domino tamen suo minor sit necesse est; at ille nunquam homines istoc modo sibi ingeniculari jussit, neque quenquam, multo minus Regum, aut Imperatorum aliquem, ad pedis osculum admisit: Quod exige-

exigeret nemo, niſi [a] *Homo ille peccati qui ſe extollit* (eam ſibi ſumendo potentiam, quam Deus ei neutiquam dederit) *ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur:* hoc eſt, ſupra omnes Reges, Principéſq; Verum eſto: At nonne Papa viciſſim Imperatori aut corpus inclinando, aut caput aperiendo, aut aliquo ſaltem humanitatis officio reſpondet? Minimè verò. [b] *Pontifex Romanus nemini omnino mortalium, reverentiam facit, aſſurgendo manifeſtè, caput inclinando aut detegendo. Romano autem Imperatori poſtquam illum ſedens ad oſculum pedis ſuſcepit: aliquantulum aſſurgit: Magnis etiam Principibus privatim adventantibus, cùm non eſt in Pontificalibus, aliquantulum aſſurgit tanquam reverentiam faciens*, &c. An vero cum eo *Supremate*, qui iis omni Jure debetur, ſtare poſſit, ut Papæ tam abjectè inſerviant, Regum inprimis, quorum plurimum intereſt, aliorúmque omnium Judicium eſto. Quod enim hîc præcipuè animadverti oportet, ea quæ modò adduxi ſumpta ſunt non ex ignobili aliquo privati hominis libello, qui nullius authoritate munitus prorepſit in publicum; ſed in *libro ſacrarum Ceremoniarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, quem *Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis* in ordinem

[a] 2 Theſſ. 2. v. 3. 4.

[b] Id. lib. Sac. Cerem. lib. 3. p. 113. Col. 2.

nem digeſſit, & Leoni decimo dedicavit; quémque [a] Authores graviſſimi mirificè probárunt.

[a] *Liber Valdè probatus*, Poſſevin. in Apparat. ſic. in Chriſt. Marcell.

Sed quod iis de quibus dixi amplius eſt; oportet miſerum Imperatorem etiam ſordidiſſimo [b] *ſtabularii* munere defungi. [c] *Cæſar (traditis ſceptro & pomo, uni ex ſuis) prævenit ad equum Pontificis, & tenet ſtapham quoad Pontifex equum aſcenderit; & deinde accepto equi fræno per aliquot paſſus ducit equum Pontificis.* Quod & fecerunt Imperatorum aliquot, quod quidem in iis humile nimis, & abjectum videbatur; at incredibilem certè Pontificis faſtum ſatis oſtendit, qui illud ſic fieri permiſerit, nedum mandaverit. Sic [d] *Sigiſmundus Martini* quinti, & [e] *Fredericus Alexandri* tertii ſtapedem tenuit; quod *Adriano* quarto antea præſtiterat, ſi [f] *Baronio* fides: *In conſpectu*, inquit, *exercitus ſui Fredericus officium ſtratoris cum jucunditate implevit & ſtreguam fortiter tenuit.* Et ne quem hoc factum lateret, notula quædam ad [g] marginem adjecta eſt. *Ut Reges & Imperatores inſerviunt Papæ.* Et paulo poſt, *Rex implet* [h] *munus ſtratoris Papæ.*

[b] Baron. Annal. Tom. 12. ad ann. 1177. Sect. 38.

[c] Sac. Cerem. lib. 1. Tit. 5. p. 26. Col. 3.

[d] Tho. Walſingh. Hypod. Neuſtriæ, p. 588.

[e] Baron. Annal. Tom. 12. ad Ann. 1177. Sect. 124.

[f] Id. Annal. Tom. 12. ad an. 1155. num. 13, 14.

[g] Ibid. num. 13.

[h] Ibid. num. 14.

Neque hîc ſe ſiſtit effrænis audacia: Imperator etiam Jurejurando obſtringi debet, ut Papæ fidelitatem præſtet, ejúſq; Jura

Jura tueatur, quod his verbis concipitur, [a] *Ego Rex Romanorum futurus Imperator, promitto & juro me de cætero Protectorem, & Procuratorem fore ſummi Pontificis, in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones, honores, jura, &c.* In hunc fere modum ab *Innocentio* tertio *Joannes* Angliæ Rex jurare coactus eſt —*Ego Joannes Rex Angliæ*—*fidelis ero*——*Eccleſiæ Romanæ, ac Domino meo Innocentio Papæ tertio, &c.* Quod & antea *Gregorius* 7. illud Pontificiæ Tyrannidis monſtrum, miſſo ad *Gulielmum* 1. Ang. Reg. *Huberto*, exegerat; [b] *Ut ſibi & ſucceſſoribus ſuis fidelitatem faceret. Gulielmus* quidem cùm Jura ſua *Regalia*, & iniquos Papæ prætextus probè intelligeret, illud à ſe Jugum, prout tanto Rege dignum erat, fortiter & animosè rejecit. In literis enim ad Papam datis, *fidelitatem*, inquit, *facere nolui, nec volo.* Illud autem utut fuerit; *Hoc Ithacus velit*, Eam ſibi Pontifices poteſtatem deberi contendunt, & ſi quando virium ſatis habuerint, interdictis & graviſſimis Eccleſiæ cenſuris, etiam invitis Regibus, extorquebunt. Neque mirum quidem, ſi immenſam illam in Reges potentiam habeant, quam *Canoniſtæ, Jeſuitæ, Scholaſtici, Caſuiſtæ, Sum-*

[a] Sac. Cerem. S.R.E. lib. 1. Tit. 5. p. 23.

[b] Henric. de Knighton de eventib. Angl. lib. 2. p. 2420. Mat. Weſtm. ad ann. 1213. p. 272.

[c] Baron. Annal. Tom. 11. ad ann. 1079. num. 25.

Summiſtæ, & reliqui prope omnes (ex eò ſcriptorum grege) iis tribuere ſolent. Ego de plurimis paucos adducam.

[a] Lib. ad Hen. 8. pro Eccleſ. union. defenſ. Rom. apud Anton. Bad. Aſula. p. 25, 26.

Reginaldus [a] *Polus* Cardinalis, poſtquam, ut ſibi videbatur, probaverat Regem omnem *à Papa populóque poteſtatem accepiſſe*; & *Sacerdotem Patris, ipſum vero filii loco eſſe*; illud adjicit; *Officium Patris eſt prorſus majus Regio, & divinius.* Atque ut omnes hic animos adverterent, hæc ad marginem appoſita ſunt; [b] *Sacerdos in ſuo munere Regi præcipit, non contra.* Sacerdos ergo Rege ſuperior eſt; Longùm itaque valeat ſumma Regum quæ fuerat Poteſtas. Idem enim paulo ante, [c] *Henricus*, inquit, *Rex Luciferi ſuperbiam imitatur dum ſe ipſe Vicarium Chriſti conſtituit.* Hoc alicui fortaſſe ſatis, at Papæ non videtur; ideóq; *Polus*, aliíque ipſi longè plura largiuntur: [d] *Petri Cathedram ſuper omnia Imperatorum ſolia, & omnia Regum tribunalia conſtituit Chriſtus.* Si hoſce igitur Theologos audire velis, Pontifex omnibus major eſt, idque Jure divino: cùm tamen *Paulus* [e] *Petro* certè *par*, ejúſque ſucceſſoribus quibuſcunq; longè major, Imperatorem etiam [f] Paganum ſui *Judicem* eſſe fateretur, adeóq; ad ipſum provocaret. *Azorius* autem vir celebris doctúſque

[b] Ibid. p. 26. Col. 1.

[c] Ibid. p. 17. Col. 1.

[d] Polus Card. de Concil. p. 91. Edit. in 8°.

[e] 2 Cor. 11. 5. & 2 Cor. 12. 11.

[f] Act. 25. 10, 11.

doctúſque eam Cardinalis ſententiam tuetur; *Etenim*, inquit, *Imperator Papæ ſubjectus eſt, etiam in temporalibus.* Et poſt eum alius ſui *Ordinis Prior*, qui dicitur, *Generalis*, hæc habet. [b] *Unicus Dei Vicarius Pontifex Romanus habet ſummam Poteſtatem & Imperium ſuper omnes Reges & Principes terræ.* Et alio loco, [c] *Sicut unus eſt Deus Monarcha omnium; ſic inter homines unus debet eſſe Princeps & Monarcha, qui omnibus mortalibus præſit, & dominetur, Dei ſcilicet Vicarius. Non igitur Petrus ſub Rege, ſed Reges ſub Petro eſſe debent, ſibique & ſuis ſucceſſoribus incurvari tenentur, & colla ſubmittere.* Et paulo poſt, [d] *Unus Dei Vicarius Omnium Princeps & Dominus, cui Imperatores, Reges, & Poteſtates omnes humiliter obediant, ſintque ſubjecti.* Quod quidem ſumma cum ratione fieret, ſi verum fuerit quod idem alibi dixerat—— *Sicut Luna accipit lumen à Sole, ſic Regia poteſtas recepit authoritatem non aliunde niſi à Papa.* Quod ut probet duos ille, (ex innumeris fere) Juriſconſultos citat. [f] *Multas*, inquit, *rationes afferunt Joannes Andreas, & Hoſtienſis, quibus probant, Papam eſſe Principem & Monarcham, & Superiorem Laicorum omnium, & Clericorum.* Imò verò, [g] *Debet Poteſtas ſpiritualis*

[a] Azor. Inſtit. Moral. Tom. 2. l. 10. c. 6. p. 1041.

[b] Blaſius Bagnus de S. R. E. dignitat. Tract. 7. p. 83.

[c] Ibid. p. 84.

[d] Ibid. p. 85.

[e] Ibid. p. 85.

[f] Ad Can. Nemo. 13. & Can. Aliorum. 14. Cauſ. 9. Quæſt. 3.

[f] Gloſſ. ad cap. unam Sanctam. De majore & Obed. in Extravag. Commun. verbo Porro ſubeſſe, in Reſpect. ad 3. Argum.

tualis Temporali dominari. Et æternis ignibus addicendi sunt quicunque parere recusaverint. Sic enim habetur in Titulo impiæ illius *Extravagantis*, quam vocant, *Bonifacii* octavi. *Omnes Christi fideles de necessitate salutis subsunt Romano Pontifici; qui* [a] *utrumque gladium habet, & omnes judicat, & à nemine judicatur.* Utrumque Pontifex, se Judice, gladium habet; hoc est, prout ipse ineptissimè interpretatur, spiritualem, & temporalem, supremámq; omnino in omnes potestatem. Non tamen liquet Petrum ambos gladios habuisse; nec Christum eos ipsi in manus tradidisse; nec eos geminam potestatem denotâsse; nec denique Petrum ambobus utendi jus habuisse; cum eum vehementer increpaverit Dominus quod eorum altero usus esset. Ea vero est horum hominum impietas ut etiam Christum ipsum imprudentiæ accusare audeant, si non hujusmodi Monarcham constituisset, qui universo Orbi summo cum Imperio præesset. --- [b] *Non videretur Dominus fuisse discretus, nisi unicum post se talem Vicarium reliquisset.*

[a] Luc. 22. 38.

Mat. 26. 51, 52.

[b] Glossa ad dict. cap. unam Sanctam.

Atque hac de causa ut, (quantum fieri potest) in Deum blasphemi sint, Pontificique turpissimè adulentur, Papam quiddam Homine majus esse dicunt.

[a] *Papa*

[a] *Papa ſtupor mundi---- Qui maxima rerum,*
Nec Deus es, nec Homo, quaſi neuter es inter utrumque.

[a] Gloſs. verbo Papa in Procem. Clem.

Neque minus certè, fortaſſe etiam magis impium eſt, quod aræ cuidam Romæ, ſi memini, inſcribitur. Verba autem ipſa hæc ſunt: PAULO V. *Vice-Deo, Pontificiæ Omnipotentiæ vindici acerrimo, &c.* Hîc autem licet *Vice-deus* quiddam Deo minus ſonet; cùm tamen non ſine ſummâ divini numinis contumeliâ Pontifici Omnipotentiam tribuant, eum extra mortalium conditionem ponunt. Eſt verò aliud *Gloſſema*; quod non amplius timidè rem gerit, ſed apertiſſimè *Blaſphemum* eſt, in eo enim ſenſu habetur; [b] *Dominus Deus noſter Papa*. Duo hæc Gloſſemata cùm ſint patenter impia, ſecum tamen pugnant; cùm alterum Papam Deum, alterum neque Deum, neque hominem eſſe contendat. Quòd ſi poſtremum hoc verum fuerit, verquàm velim mihi hîc dari obviam aliquem Juris Canonici peritum, nobis qui edicat quidnam tandem rei Papam eſſe putet. Cum enim ſecundum Jus illud *neque Deus ſit, neque Homo*; cùm-

[b] Gloſſ. ad cap. Cum Inter. 4. verbo Declaramus. De verb. ſignif. in Extravag. Johan. 23.

tualis Temporali dominari. Et æternis ignibus addicendi sunt quicunque parere recusaverint. Sic enim habetur in Titulo impiæ illius *Extravagantis*, quam vocant, *Bonifacii* octavi. *Omnes Christi fideles de necessitate salutis subsunt Romano Pontifici*; *qui* [a] *utrumque gladium habet, & omnes judicat, & à nemine judicatur.* Utrumque Pontifex, se Judice, gladium habet; hoc est, prout ipse ineptissimè interpretatur, spiritualem, & temporalem, supremámq; omnino in omnes potestatem. Non tamen liquet Petrum ambos gladios habuisse; nec Christum eos ipsi in manus tradidisse; nec eos geminam potestatem denotâsse; nec denique Petrum ámbobus utendi jus habuisse; cum eum vehementer increpaverit Dominus quod eorum altero usus esset. Ea vero est horum hominum impietas ut etiam Christum ipsum imprudentiæ accusare audeant, si non hujusmodi Monarcham constituisset, qui universo Orbi summo cum Imperio præesset. --- [b] *Non videretur Dominus fuisse discretus, nisi unicum post se talem Vicarium reliquisset.*

[a] Luc. 22. 38.

Mat. 26. 51, 52.

[b] Glossa ad dict. cap. unam Sanctam.

Atque hac de causa ut, (quantum fieri potest) in Deum blasphemi sint, Pontificique turpissimè adulentur, Papam quiddam Homine majus esse dicunt.

[a] *Papa*

[a] *Papa ſtupor mundi---- Qui maxima rerum,*
Nec Deus es, nec Homo, quaſi neuter es inter utrumque.

[a] Gloſs. verbo Papa in Procem. Clem.

Neque minus certe, fortaſſe etiam magis impium eſt, quod aræ cuidam Romæ, ſi memini, inſcribitur. Verba autem ipſa hæc ſunt: PAULO V. *Vice-Deo, Pontificiæ Omnipotentiæ vindici acerrimo, &c.* Hîc autem licet *Vice-deus* quiddam Deo minus ſonet; cùm tamen non ſine ſummâ divini numinis contumeliâ Pontifici Omnipotentiam tribuant, eum extra mortalium conditionem ponunt. Eſt verò aliud *Gloſſema*; quod non amplius timidè rem gerit, ſed apertiſſimè *Blaſphemum* eſt, in eo enim ſic habetur; [b] *Dominus Deus noſter Papa*. Duo hæc Gloſſemata cùm ſint patenter impia, ſecum tamen pugnant; cùm alterum Papam Deum, alterum neque Deum, neque hominem eſſe contendat. Quòd ſi poſtremum hoc verum fuerit, perquàm velim mihi hîc dari obviam aliquem Juris Canonici peritum, nobis ut edicat quidnam tandem rei Papam eſſe putet. Cum enim ſecundum Jus illud *neque Deus ſit, neque Homo*; cùm-

[b] Gloſſ. ad cap. Cum Inter. 4. verbo Declaramus. De verb. ſignif. in Extravag. Johan. 23.

que, uti arbitror, facile conceſſerint ipſum eſſe ratione præditum, atque *Angelus bonus* cum non ſit, reliquum eſt ut ſit *Dæmonium* aliquod humanâ carne contectum: Eſſe non dico, ſed quid conſentaneum ſit eos dicere, ſi Juris hujus principia tueri velint.

Atque hîc notatu non indignum videtur, quòd cùm [a] *Thomas Manriquius* ſacri palatii Magiſter *Gloſſam* hunc omittendam putaverit, ſuámque de eâ ſententiam evulgaverit; [b] *Gregorius* tamen decimus tertius aliter ſenſit, eámque, cum pluribus id genus aliis, comprobavit; atque adhuc ſupereſt in eo Juris Canonici Corpore quod [c] *Romæ*, eóque etiam quod [d] *Pariſiis* edebatur. Jam verò licèt *Congregatio Indicis*, atque *Inquiſitores* in *Indicibus*, qui dicuntur *Expurgatorii*, haſce ſimiléſque ſententias damnent; (quanquam ipſiſſimis ſacræ Scripturæ verbis efferantur) *Abraham fide juſtus*: [e] *Chriſtus credentibus ſalus*: [f] *Juſtitia noſtra Chriſtus*: [g] *Omnes ſumus Peccatores*: Quanquam, inquam, ſententias haſce, ſanè veriſſimas, perpetuò damnent, eáſque deleri jubeant; illud tamen execrandum planè *Gloſſema*, in ultimis, emendatiſſimiſque Juris Canonici editionibus, intactum manet; quòd, ut ipſi arbitrantur, ad

a Cenſur. in Gloſs. Jur. Can. Colon. 1572. p. 13. 14. & 52.
b Vid. Bull. dat. Rom. 1. Jul. 1580. præfixam Jur. Can. Par. 1612.
c Ann. 1580.
d Ann. 1612.
e Index Expurg. Hiſpan. juxta exemp. Madrit. 1667. p. 99.
f Ibid. p. 112. col. 2.
g Ibid.

ad Pontificis poteſtatem ſtabiliendam nonnihil momenti afferre videatur. At in poſtremis, quæ mihi videre contigit exemplaribus, illud hîc ad marginem apponitur---- [a] *Hæc verba ſano modo ſunt accipienda.* Hoc eſt ſecundum *Johannem Andream*, qui *Gloſſæ* Author fuerat, ita ſunt intelligenda ut Papæ *Suprematum* longè maximum efficiant; *Prolata enim ſunt*, inquit, *ad oſtendendam ampliſſimam eſſe Pontificis Romani poteſtatem.*

[a] Edit. Juris Canon. Pariſ. 1612. Clem. Col. 4. in Marg. ad Procem. Clementin.

Dato autem eo Papæ *Suprematu* pro quo qui apud eos habentur *Juriſconſulti*, *Leges*, *Canoniſtæ*, *Concilia*, *Scriptoréſque* celeberrimi, maximè *Jeſuitæ* prope omnes, acerrimè pugnant, apertiſſimè ſequitur ipſum eſſe ſolum, ſupremúmque terrarum Dominum, atque adeò illi Reges, Imperatoréſque ſubjici debere: ideoque eo *Suprematu* excidere, quem naturæ, diviniſque legibus ſibi vendicant. Dicunt enim hi homines, & probare ſatagunt, ſummam eſſe Pontificis in omnes, cujuſcunque ordinis, poteſtatem. Quod ut magis eluceſcat, nonnullos hujus rei teſtes adducam. *Abrahamus* [b] *Bzovius*, hæc habet: [c] *Papa eſt Chriſtianorum Monarcha*; [d] *Mortalium Supremus*; [e] *à quo provocatio nulla*; [f] *Judex Cæli, & in judicio terreno Supremus*; [g] *Arbiter Orbis.*

[b] Abr. Bzov. de Pont. Rom. Colon. Agrip. 1619.
[c] Cap. 1.
[d] Cap. 3.
[e] Cap. 16.
[f] Cap. 32.
[g] Cap. 55.

bis. Hæc ille, & hujuſmodi plurima Pontificiorum ſcriptorum authoritate firmare nititur. Neque eſt hic liber furtim excuſus, quíque *Romæ* damnaretur; ſed magnâ Pompâ, cum ſuperiorum, & Apoſtolici Inquiſitoris licentiâ procedit in publicum. Sic enim ſcriptum illud approbatur: [a] *Cùm de præſentis Operis ſingulari eruditione, ſolidáque in fide ac moribus doctrinâ, tàm ex doctorum calculo, quàm ex Authoris celebri nomine, ſatis conſtet, cenſeo ut ad communem utilitatem excudatur,* &c. Illud igitur de Pontificis in omnes *Suprematu* non *Bzovii* tantum, ſed Eccleſiæ Romanæ Dogma eſt; cùm ab iis probatum fuerit, quibus illa libros cenſendi Jus detulerat. Huic proximus accedat *Iſiodorus Moſconius Vicarius Generalis Archiepiſcopi Bononienſis*; ille autem *Pontifex*, inquit, *Romanus eſt Judex Univerſalis, Rex Regum, & Dominus Dominantium, eo quod ejus Poteſtas à Deo eſt, & nullum habet ſuperiorem niſi Deum. Eſtque unum Tribunal inter Deum & Papam. Ideò omnes Poteſtates ei ſubditæ ſunt, & à nemine judicatur, niſi à Deo; non ab Auguſto, non à Regibus, nec à Clero aut Populo.* Et multos ille *Canones*, & *Concilia* nominat, quæ hanc ipſius ſententiam confirmant. Neque ab eo multum abeſt

[a] Vid. Approb. lib. Bzov. de Pont. Rom. in Approbat. Inquiſ. Apoſtol.

[b] Iſiod. Moſc. de Majeſtat. Eccleſ. Milit. lib. 1. c. 7. p. 26. Venetiis 1602 Et p. 640. in Marg. *Papa eſt omnium principum Monarcha,* &c.

Celſus

Celſus Mancinus, qui hæc tria ponit, & clariſſimorum ſcriptorum authoritate probat. [a] *Papa eſt totius Orbis Dominus. Papa ut Papa habet Poteſtatem temporalem. Poteſtas Papæ temporalis eſt omnium aliarum Poteſtatum Eminentiſſima, aliæque Poteſtates omnes ab illo dependent.* Verùm ut hos miſſos faciam; alium ego in medium apponam iis multo præſtantiorem, qui non tantùm Papalem poteſtatem, aliâ quacunque majorem eſſe dicat; verùm etiam, quaſi rem ad articulos computâſſet, quanto major ſit oſtendet. Is eſt *Innocentius tertius* Papa, ſi quiſquam alius, proculdubio *Infallibilis*: Narrat autem ille [b] *Poteſtatem Papalem tanto Imperiali majorem eſſe, quanto Sol eſt major Lunâ*: Hoc eſt, ut inquit *Gloſſator*, *Quadragies Septies*. Qui vero Notas ad Marginem poſuit illud parùm putat, ideóque, ait, *Quinquagies Septies*. Perdocte Pol! Hoc atque Arithmeticè, fortaſſe aliquis Pontifici ſatis eſſe putaverit. At non videtur neſcio cui qui hîc mantiſſam adjecit, rationéſque haud paulo accuratiùs ſubduxit; ait enim *Papalem dignitatem Imperialem ſeptenis millibus ſeptingentis quadraginta quatuor* vicibus excedere. Adeò nihili res eſt, ut iis quidem placet, Regum Imperatorúmq;

[a] Celſ. Mancin. de Juribus Principatuum lib. 1. c. 1, 2. Romæ 1596.

[b] Innocent. 3. cap. 6. ſolicitæ de major. & Obedientiâ.

Majeſtas, ſi cum infinitâ ferè Pontificis potentiâ comparetur.

Ut verò rem omnem paucis complectar, ſi Decretalem hanc *Innocentii* Epiſtolam, cum celeberrimâ illâ *Extravagante*, quam vocant, * *Bonifacii Octavi* ſedulò contuleris: Videbis illos aliquot ſcripturæ locos, perperam ſanè intellectos, & rationes quaſdam afferre, ut nobis perſuadeant Papalem poteſtatem Imperiali plurimùm præcellere: At nihil eorum quæ volunt ex iis locis confici unquam poterit; & argumenta quibus utuntur, adeò ſunt ab omni ratione aliena, ut ab omnibus paulò cordatioribus meritò rideantur. Quanquam autem neque Pontifices ipſi, neque ſcriptores Pontificii immenſum illum, pro quo univerſi digladiantur, *Suprematum*, defendere valeant; hoc ſaltem inde clariſſimè conſtabit, illud eos Dogma recipere, & quibus poſſunt, rationibus tueri, omnibúſque neceſſariò credendum obtrudere.

* Bonifac. 8. cap. 2. unam ſanctam, de major. & Obed. Extrav. Com.

Præterea poſito hujuſmodi *Suprematu*, illud hinc concludere volunt, quod & apertè profitentur; Poſſe Pontificem ſubditos à *Fidelitatis Juramento* abſolvere, *Reges deponere*, eorúmque Regna aliis donare. Hoc ipſos ita ſentire in ſequenti-

quentibus oſtendam. Infinitum ferè eſſet, neque admodum neceſſe ſingulos à me nominari. Notiſſimum eſt *Bellarminum, Eman. Sa, Suareſium, Marianam, Joan. de Turrecrematâ, Canoniſtas, Scholaſticos, Summiſtas, Jeſuitas plerósque, ſi non omnes*, in eâ eſſe ſententiâ. Ego de plurimis pauculos adducam; ut ſpecimen aliquod habeas impii iſtius Dogmatis, quod paſſim certè amplectuntur, & quidem, pro viribus, defendunt. * *Celſus Mancinus* Vir doctus, & *Canonicus Regularis* Ordinis *Auguſtiniani*; *Conſpicuum eſt*, inquit, *omnibus, à ſummo Pontifice deponi, privaríque Imperatores, idque non tantum ratione eorum quæ ad fidem ſpectant, verùm etiam & eorum quæ ad mores, & Jus Civile ſpectant.* † *Abrahamus Bzovius* aliquanto pleniùs, ut cæteri ferè; *Poteſtas*, inquit, *ſæcularis ſubdita eſt ſpirituali, ità ut non ſit judicium uſurpatum, ſi Poteſtas ſpiritualis de Temporalibus judicet. Papa ſummam habet Poteſtatem etiam in Reges, & Principes Chriſtianos, qui eos corrigat, officio amoveat, & in loco eorum alios conſtituat. Papa poteſt Regem propter Hæreſin, Schiſma, crimen intolerabile in populo, negligentiam, aut ſocordiam, ſi Juramento dato non ſatisfecerit, aut Eccleſiam opprimeret, Dignitate Regiâ exuere.* Octo

* Mancin. de Jurib. princip. l. 3. c. 3. p. 76. Romæ 1595.

† Bzovius de Pont. Rom. c. 46. p. 621. col. 2. Colon. Agrip. 1618.

hîc aut novem, opinor, de cauſis poteſt Papa Regum aliquem de ſolio deturbare; atque in omnibus ipſe ſolus & Actoris, & Judicis perſonam ſibi imponit. Hæc autem ut probet *Bzovius*, [a] triginta aut eo plures Reges, Principéſque à Pontifice damnatos, Anathemate percuſſos, ſedibúſque ſuis dejectos enumerat. Poſtea *Canonem* [b] Concilii cujuſdam depromit, quod apud ipſos Oecumenicum habetur, & ſupra centum Authores ex Eccleſiâ Romanâ celeberrimos, qui impiam hanc, omnibúſque execrandam ſententiam tuentur. Poſtea, *Innumerabiles*, inquit, *etiam Anglicani Martyres Ducem Edmundum Campianum ſecuti, pro Primatu Pontificis ab Hen. 8. & Elizabethâ cæſi, ſanguine profuſo, & ſtylo exerto idem docuerunt.* Iſtud igitur de Regibus à Pontifice deponendis dogma etiam inter Fidei Articulos numerandum erit, cùm iis Martyres ſint, qui morte mulctati ſunt, quòd illud defenderint; & [c] Campianus, qui propter læſæ Majeſtatis crimen ſupplicio affectus eſt, [d] *Martyr Chriſti inclytus, & ſui ſeculi clariſſimus*, dicatur.

[a] Ibid. p. 611, 612.

[b] Ibid. p. 619, 620, 621.

[c] Vid. Cambd. Eliz. l. 3. pag. 239, 240.

[d] Pet. Ribad. Catal. ſcriptor. Societ. Jeſ. in Edm. Campian.

Hæc quidem à ſcriptoribus Pontificiis, ſumma cum audaciâ, libris publicè excuſis, neque unquam ab eâ Eccleſiâ notatis, prolata,

prolata, Chriſtianis omnibus, quibus Regum ſalus cordi eſt, meritò horrenda videantur; at his longè atrociora producam. Ex iis * quidam in *Jacobum* Regem ſcribens hæc habet. *Penes Papam in Eccleſiâ ſummum Imperium, Poteſtas ſumma, tàm Dirigendi, quàm Cogendi, jus etiam vitæ, & necis in Papâ reſidet. Papa eſt ſummus Dei Vicarius, Cæſar eſt ſummus Eccleſiæ Advocatus; quo nihil ulli Regi amplius, aut honorificentius.* Quantum huic homini debent Reges qui eos in hoc honoris gradu conſtituit! Ille verò pergit: *Papa Caput eſt corporis Chriſti. Cæſar & Reges ſunt Brachia, ſeu Manus. Itaque inſania eſt dicere nullum Capitis in Brachia imperium eſſe. Papa (qui eſt Caput, & vertex Eccleſiaſtici Corporis) Spiritus Sancti inſpiratione regitur. Brachia nihil facere poſſunt, niſi quod ad Corporis victum, amictum, ac protectionem pertinet; quorum omnium Regimen, ac præſcriptum, quin penes Caput ſit, & inde ad Brachia derivetur, dubitare Paulus vetat.* Col. 2. 19. *Itáque ſi Reges non nutriant, neque veſtiant Corpus----ſi Brachia & Manus munere non fungantur, nec teneant Caput----. Ut membrum inutile, Capitis imperio amputentur*†. Cùm igitur, ſi hæc Papiſmi principia admiſeris, *Papa* ſit

* Caſp. Sciop. in Eccleſiaſt. Jacob. Mag. Brit. Regi oppoſ. c. 139. p. 502, 1611.

† De his plura vide apud Baron. ad An. 593. num. 8. & ad An. 730. num. 5. & alibi paſſim.

ſit *Corporis Caput* Supremúſque omnium Judex; & Reges, Principéſque pro *brachiis* tantùm *manibúſque* habendi ſint, eos, quoties ipſi videbitur recidere poterit. Et tamen ea eſt hujus rabulæ frons, ut affirmare non vereatur; illúdque, ut ab oſcitantibus etiam notari poſſit, ad marginem adjecerit; * *ſummam Papæ Poteſtatem nihil prorſus periculi adferre Regibus.* At quantum ea periculi Regibus attulerit, abunde teſtantur tot Reges, Imperatoréſque qui ſex hiſce, quæ proximè elapſæ ſunt, annorum centuriis, omni prorſus dignitate ſpoliati ſunt: quantúmque in poſterum afferre poſſit, niſi ſedulò proſpectum fuerit, Principum certè, omniúmque curare intererit, qui ſe, ſuóſque ſalvos eſſe velint. Scitum erat illud ſapientis viri dictum: Principes Proteſtantes ſecuros quidem, at tutos eſſe non poſſe, quamdiu *Jeſuitarum* aliquis ipſorum fines incoluerit. *Thuanus* cùm de miſerandâ cæde *Henrici tertii*, *quartíque* ſcriberet, eóſque nimiæ ſecuritatis inſimulaſſet; illud addit: *Miſeros Principes, quibus de Conjuratione non creditur, niſi Occiſis!* Nos verò pergamus.

* Ibid. c. 141. pag. 512.

Oportet Principes Proteſtantes ad ea etiam attendere quæ habet *Jacobus Simanca*: inde enim conjicere licet quid

iis

iis facturus ſit Pontifex, ſi quando vires habuerit. * *Hæretici*, inquit, (novimus autem quos ille Hæreticos dicat) *Privati ſunt omni Dominio, & Juriſdictione, & eorum ſubditi ab eis liberi ſunt; quod & Reges, & alios rerum Dominos comprehendit.* Neque hoc ille ſolus, aut privatim ſentit; verùm etiam *Gregorii noni* ∴. authoritate confirmat: citat & † *Alphonſum à Caſtro*, qui idem illud plurimis Pontificiorum ſcriptorum teſtimoniis probat. Quódque hîc animadverti poteſt, excuſus eſt iſte liber cum ſuperiorum licentiâ; eúmque doctiſſimus vir *Ben. Arias Montanus* librorum cenſor legerat & admodùm laudat: Etenim, *Valdè*, inquit, *utilem eſſe cenſeo ad totius Argumenti ſuſcepti cognitionem, & praxim; nihílque continere quod Catholicam Fidem offendat:* Itaque vir ille doctiſſimus execrandum illud Dogma de Regibus Hæreticis deponendis, & eorum ſubditis fidelitatis Juramento liberandis, nihil habere Fidei Catholicæ contrarium putat. At ille pergit: *Ideóque dignum judico, ut ad multorum utilitatem, tertio, & etiam ſæpius edatur.* Iſtud igitur Dogma, quod ſuprà poſui, non tantùm à *Simancâ*, *Alphonſo à Caſtro*, *Aria Montano*, celeberrimis apud Pontificios viris; verùm etiam

* Jac. Simanca Enchir. Juſtic. Tit. 67. Sect. 12. p. 349. Antwerp. 1573

∴. Extrav. de Hæret. cap. Abſolutos 16.

† Alph. à Caſtro de juſta Hæret. punit. l. 2. c. 7. &c.

à

à *Gregorio nono*, & in *Jure Canonico* defenditur. Quódque præteriri non debet, cùm univerſi ferè idem doceant, mihi nondum ullum Indicem Expurgatorium videre contigit, in quo illud aut in *Simancâ*, aut in quovis alio damnatum fuerit.

Cùm centum opinor, poſſem, ego hiſce unicum adjiciam magni nominis *Jeſuitam* qui planiſſimè nobis enuntiat, quod ex eâ ſocietate loquuntur omnes, & complures certè faciunt. [a] *Clerici*, inquit, *rebellio in Regem non eſt crimen læſæ Majeſtatis; quia Clericus non eſt Regi ſubditus.* Neque hoc ſolus ſentit *Emanuel Sa*; eſt enim ille liber, in quo hæc præſcripta ſunt, admodum probatus, & ſummis laudibus cumulatus à librorum Cenſoribus, quas ad [b] frontem, atque etiam ad [c] calcem adjectas invenias: Atque ut narrat vir [d] optimus, doctúſque, eodem in honore etiam *Romæ* habebatur. Si itaque tot tantíſque ſcriptoribus Pontificiis fidem aliquam hâc in re tribuere oporteat, certiſſimum eſt nefarium illud Dogma ab Eccleſiâ Romanâ & probatum eſſe, & receptum.

[a] Eman. Sa Aphor. Conf. verb. Clericus, p. 41. col. 1599.

[b] *Opus Theologis omnibuſque animarum curam habentibus utile, & neceſſarium.*

[c] *Hi Aphoriſmi docti ſunt, ac Pii, multamque utilitatem allaturi.*

[d] Jac. Lechaſſeir. Oper. p. 421. Par. 1652.

Non

Non erat animus rem apertam adeò atque claram pluribus teſtimoniis confirmare: Verùm duos ego, ad eos quos modò nominavi, authores adjiciam; qui illos, ſi fieri poſſit, ſceleribus, & impietate ſuperarent. [a] Juriſconſultus quidam non incelebris, ut Papalem poteſtatem defendat, impias haſce, atque nefandas Theſes probare conatur. [b] *Imperator ſubeſt Papæ, ut & Reges.* [c] *Imperator & Rex ratione fidei, & peccati gravis, poſſunt à Papâ deponi & privari.* [d] *Papa habet Poteſtatem in toto Orbe, in ſpiritualibus, & temporalibus; & in temporalibus modo digniori, ſuperiori, & perfectiori quàm habent Principes ſeculares.* [e] *Statuta Laicorum non obligant Clericos.* [f] *Vicarius Dei omnibus Poteſtatibus præponitur, ſicut ipſe Deus, & Papæ ſubeſt omnis Creatura.* [g] *Papæ ſubeſſe eſt de neceſſitate ſalutis, & contrarium aſſerens, non poteſt dici Chriſtianus.* Ducuntur hæc ferè ex *Jure Canonico*, & *Decretali* illâ *Bonifacii octavi* Epiſtolâ: Et ſi vera fuerint, quæ dura ſanè nimis atque impia videntur, Reges, populíque omnes qui Reformatam Religionem ſequuntur, nè Chriſtianorum quidem in numero habendi ſunt; verùm univerſi, ſine ullâ ſalutis adipiſcendæ ſpe, nullo diſcrimine ad

[a] Phil. Mayn. de privileg. Eccleſ. ad Paul. 5. Ancon. 1607.
[b] Art. 5. Lect. 19. 21.
[c] Ibid. Sect. 23
[d] Ibid. Art. 6. Sect. 1, & 11.
[e] Ibid. Art. 13. Sect. 9.
[f] Ibid. Art. 6. Sect. 11. 12.
[g] Ibid. Sect. 13.
[h] Cap. unam ſanctam, de major. & obed. Extrav. com.

ad æterna ſupplicia damnantur. Atque, ut alios omittam, [a] *Canoniſtæ*, & [b] *Jeſuitæ* quàm plurimi, imò [c] omnes, illa approbant & tuentur, & à Papâ [d] Concilióque firmata ſunt. *Theologia hæc Damnatoria, Pſeudo-Catholica, Romana ſit licet tamen non eſt Chriſtiana.* Glorientur illi, uti ſolent, de *Fide Catholicâ*; ego certè eorum Fidem haud magni æſtimaverim, qui ſunt adeò ab omni Charitate alieni, ut quoſlibet à ſe diſſentientes ad Inferorum pœnas ſtatim adjudicent.

Alter mihi nominandus eſt [e] *Staniſlaus Orichovius*: Is autem dum Papalem Dignitatem ampliſſimis verbis auget, non ſine ſummâ in Reges contumeliâ, & blaſphemiâ in Deum; hæc habet indigna prorſus quæ ab homine Chriſtiano ſcriberentur. *Sacerdos præſtat Regi, quantum homo præſtat Beſtiæ. Qui Regem præfert Sacerdoti, is Creaturam anteponit Creatori.* Mira ſunt hæc; at quæ probantur, certè non damnantur *Romæ*: Cum enim nonnulla hujus Authoris hujus in [f] *Indice Expurgatorio Hiſpanico* notata ſint, nulla eſt hujus loci neque cenſura, neque mentio. Et quæcunque Papalem poteſtatem ſupra modum extollunt, Regalémque deprimunt, rariſſimè omninò aut nunquam ab Eccleſiâ Romanâ notari ſolent. Ve-

[a] Vid. Gloſſ. ad dictum Cap. unam Sanct. & Card. Turrecr. ſum. de Eccl. l. 4. part. 2. p. 409.

[b] Vid. Bellarm. de Pont. Rom. l. 5. c. 7. Sect. Item Sect. ſic enim.

[c] Vid. Apol. Jeſuit. Ann. 1591. Tit. *La verité défendue.*

[d] Vid. Sanct. Pragm. Paris 1613. p. 1042. & Concil. Lat. ſub Leon. 10. Seſſ. 11. apud Bin. tom. 9. p. 153. Vid. Bull. Pii. 4. ſuper formâ Profeſſ. Fidei in Concil. Trident.

[e] Saniſl. Orich. in Chimæra, p. 99.

[f] Index Expurg. Hiſpan. in Staniſl. Orich.

Verùm ut omittamus privatorum teſtimonia, qui apertè tuentur, & probare conantur, Reges à Papâ, populóque deponi, atque etiam interfici poſſe; ad majora veniamus, eáque quæ apud ipſos ſummam Authoritatem habent. Primùm igitur inſpiciamus, [a] *Jus* illud *Canonicum*, quod dicitur, in eâ Eccleſiâ probatum atque uſu receptum, cuique omnes ut optimæ judicandi regulæ parere oportet. Atque iis ego utar Exemplaribus quæ Pontificis ipſius juſſu emendata, approbata, atque ità demùm evulgata ſunt. Sic enim de iis ipſe teſtatur——— [b] *Nos providere volentes, ut hoc Jus Canonicum ſic Expurgatum, ad omnes Chriſti fideles ſartum perveniat, ac ne cuiquam liceat operi quicquam addere, vel immutare, aut invertere, ſed prout in urbe noſtrâ Româ nuper impreſſum fuit integrum, & incorruptum conſervetur.* Jam verò Papa ſi *Infallibilis* fuerit, ipſe falli non poteſt; ſi ſaltem probus, alios fallere non vult: At in *Jure* hoc *Canonico* ſic expurgato; quódque ille *ad omnes Chriſti fideles pervenire voluit*, hæc alicubi ſcripta ſunt: [c] *A fidelitatis etiam Juramento Romanus Pontifex nonnullos abſolvit, cùm aliquos à ſuâ dignitate deponit.* Cúmque hoc iis Jus legitimum ſit; illud in ſequentibus ponitur:

[a] Decret. Grat. Emendat. juſſu Greg. 13. Edit. juxta exempl. Rom. diligenter recognitum. Pariſ. 1612.

[b] Greg. 13. in Bull. corp. Jur. Canon. præfix. dat. Rom. 1580 Ann. Pontif. 9.

[c] Vid. Can. Authorit. Cauſ. 15. Quæſt. 6. part. 2.

ponitur: * *Alius autem Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus; quàm pro eo quod tantæ Potestati erat inutilis à Regno deposuit; omnésque Francigenas à Juramento Fidelitatis absolvit: quod etiam ex authoritate frequenti facit Sancta Ecclesia.*

* Ibid. Can. Alius 3.

In hoc *Canone*, perquàm sanè memorabili, quædam mihi annotare liceat.

In *Glossâ*, quam conscripsit *Joannes Semeca* nobilis *Canonista*, [b] *Gelasius* quoque Pontifex idem docuisse dicitur: *Gelasius Papa scribens contra Anastasium Imperatorem, dicit quod potest eum deponere propter malitiam suam, &c.*

b Gloss. ad dict. Can. verb. *Alius.*

In hujus *Canonis* titulo, in [c] antiquis *Juris Canonici* editionibus, sic scribitur--- *Gelasius Papa Anastasio Imperatori:* at in [d] posterioribus sic: *Pontificalis Authoritas à Juramento fidelitatis nonnullos absolvit, unde Gregorius Papa.* Qui [e] Annotationes hîc addidit rectè ait, *Gelasium* de Rege Gallorum depositio loqui non potuisse; cùm is mortuus fuerit ducentis quadraginta annis antequàm *Chilpericus* sive *Childericus* (utroque enim modo scribitur) ad Galliarum regnum pervenisset. Dicunt verò hujus *Canonis* verba in quadam *Gregorii septimi* [f] Epistolâ repe-

c Edit Paris. 1519.

d Edit. Lugd. 1661.

e Vid. Not. ad dict. Can. *Alius* in edit. recent.

f Gregor. 7. Regist. l. 8. Epist. 11.

reperiri, ideóque ipſum ejus Authorem fuiſſe. Eſto autem ſive *Gelaſius*, ſive *Gregorius*, mihi quidem perinde eſt, cum fateantur ipſi *Paparum* aliquem ſceleſtum illud *Decretum* conſcripſiſſe: cúmque *Gratianus* illud in *Juris Canonici Corpus* inſeruerit; & [a] *Gregorius* decimus tertius hoc idem, unà cum tota iſtius Juris farragine, *Gloſſa* & *Annotationibus*, comprobaverit, & authoritate ſuâ confirmaverit. Unde ſumma cum ratione concludi poteſt, Tantum abeſſe ut impium hoc & ſeditioſum Dogma, de Regibus à Papâ deponendis, eorúmque ſubditos à fidelitatis Juramento abſolvendis, rejiciant, & deteſtentur Pontificii omnes; quod hodie affirmare audent nonnulli; ut contrà certiſſimum ſit eum qui ſummam habet in eâ Eccleſiâ poteſtatem, non tantum illud approbâſſe, verùm etiam Legis ei vim, & vigorem tribuiſſe. Atque ut illud obiter moneam, vides *Gratianum* & *Gregorium* opinari *Hildericum* eſſe à *Zacharia* depoſitum: at Hiſtoricus iis multo antiquior, & fide dignior, eum à *Stephano*, qui *Zachariæ* ſucceſſit, depoſitum eſſe ſcribit. Cum itaque in eo conveniant omnes, hujus ſceleris Authorem fuiſſe Pontificem, quis ille fuerit, meâ certe parum refert.

[a] Vid. Bull. Greg. 13. Dat. Rom. 1. Jul. 1580. Corp. Jur. Can. præfix.

[b] Eginhard. in vit. Carol. Mag. p. 4, 5. Colon. 1521. *Hildericus Rex juſſu Stephani Romani Pontificis depoſitus eſt.*

Cum verò in eodem *Canone* Gallorum Rex à Pontifice depoſitus eſſe dicatur quòd eſſet *Inutilis*; oſtendit *Gloſſa* quo ſenſu vocabulum iſtud ſumi debeat; *Non intelligas, Inutilis, id eſt, Inſufficiens, tunc enim ei dari debuit Coadjutor*; *ſed quia Diſſolutus erat cum Mulieribus & Effœminatus.* Hac igitur Lege Regum maximus, ſi Pontifici viſum fuerit, non ita gravi de causâ de ſolio deturbari poteſt.

* Gloſſ. ad dict. Can. *Alius* 3. verb. *Depoſuit.*

Atq; iterum hîc illud etiam in * *Gloſſa* adjicitur: *Ergo Papa deponit Imperatorem.* Et in emendatiſſimis hujus Juris editionibus, ſummâ curâ † perpurgatis, cum quæcunque pravo maleficorum hominum ſtudio irrepſiſſent, *Gregorii* juſſu deleta eſſent; hæc tamen verba, nequis præclarum illud Dogma ignoraret, ad marginem adſcripta ſunt; *Imperator poteſt à Papa deponi.* Atque hinc clariſſimè conſtat nefariam hanc Doctrinam quamvis apertiſſimè pugnet cum Chriſtianâ, cum Romanâ fide ſatis bellè congruere; cum diſertis verbis ſcripta ſit in *Gloſſis* & *Canonibus*; in quibus *Gregorius*, qui erat iis Supremus & Infallibilis omnium Judex, exiſtimavit, *Nihil eſſe Catholicæ veritati contrarium.* Neque erat ille ſolus in eâ de deponendis Regibus

† *Cum his quæ ab impiis ſcriptoribus extra in margine, vel intra aſperſa fuerunt Catholicæ veritati contraria revidendi, corrigendi, expurgandi, curam demandavimus --- Jam totum emendatum, &c.* Bull. Greg. 13. Jur. Can. præfix.

bus ſententiâ. Cum enim doctrinam hanc probaverint Pontifices, & Concilia etiam Generalia (ut poſt videbimus) & jam aliquot ſeculis inter *ſacros*, uti vocant, *Canones* recepta fuerit; adeò nunc ei neceſſariò fides habenda eſt, ut ſalutem æternam conſequi non poſſit, ut ipſi putant, qui in hoc iis dogmate non aſſenſerit. Imò verò *Clerici Seculares* univerſi, *Archiepiſcopi*, *Epiſcopi*, omnéſque *Curam animarum habentes*, *Regulares* item omnes, ſaltem qui iis præſunt, ad hoc tuendum Jurejurando in hæc verba obſtringi ſolent. * *Item omnia à ſacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis definita indubitanter recipio, & profiteor.* —*Hanc Catholicam fidem extra quam non eſt ſalus, profiteor, & ab aliis teneri (quantum in me eſt) curabo.* Eccleſiaſtici igitur omnes, præcipuè verò animarum curam habentes, non tantum credunt Reges à Pontifice deponi poſſe, verùm etiam dejerant ſe illud ipſum credere & profiteri, & quantum in iis eſt, daturos operam ut alii omnes idem faciant. Quàm fuerint hæc principia pernicioſa Regibus, quaſque Tragœdias excitaverint qui ea profiteri & in vulgus ſpargere etiam jurati tenentur; tot Principes, poſtremis hiſce ſeculis, ſedibus ſuis ejecti luculento ſane in-

* Profeſſ. fid. in Bulla Pii 4. Conc. Trid. Seſſ. 25.

dicio esse possunt: Quásque posthâc turbas daturi sint, nisi eorum conatibus summâ cum curâ & prudentiâ, obviam eatur; aut nos ipsi, citiùs quam optandum foret, aut Posteri fortassis intelligent. *Dirum omen misericors, qui solus potest, averruncet Deus.*

* Jo. Card. de Turrecrem. ad Can. *Alius* 3. Caus. 15. quæst. 6. & in sum. de Eccl. l. 2. c. 14. &c.

Consulamus denique* *Joannem Cardinalem de Turrecremata:* Erat ille vir doctus, summæque apud suos Dignitatis, in sacris eorum *Canonibus* versatissimus, & probè noverat quo sensu ii ab Ecclesiâ Romanâ sumi solerent; Is autem in suis ad eos, quos supra citavi, *Canones* Commentariis, hæc asserit, & probare nititur. *Papa potest deponere Imperatorem, aut Regem qui non subest Imperatori. Papa licitè potest absolvere subditos à Juramento fidelitatis. Papa potest deponere Comites, Duces, & alios Barones, sine consensu Imperatorum, aut Regum quibus subsunt. Subditi, si habeant assensum Papæ,* (quem si è re ipsius fuerit, certo certiùs habebunt) *possunt Regem deponere.*--- *Et si Rex sit manifestus Hæreticus potest ab Ecclesiâ deponi.*

† Vid. Bull. dict. à Clem. 10. edit. 1671. 7. Cal. Apr. & Pontif. sui An. 1. in Bull. Rom. Lugd. 1673. p. 528. Sect. 1.

Quæ cùm ita sint; summopere sibi cavere oportet Reges, qui ab iis *Hæreseos* damnantur, atque † *Anathemate* quotannis feriuntur, in *Bullâ* quadam quæ recitari

citari ſolet *Feriâ quintâ in Cœna Domini.* Si enim vires haberent Pontificii, agerent profectò quicquid ſuaderent hæc Principia, quódque ipſis commodum foret; omnia ad mentem, modulúmque ſuum ſubitò, refingerent; Principéſque univerſos, quos illi *Hæreticos* vocant, aut Religione quam ſequuntur Reformatâ, aut Regnorum poſſeſſione diſcedere cogerent.

Concludamus igitur, ſecundum probatam & receptam Eccleſiæ *Romanæ* doctrinam Reges, Principéſque deponi eorúmque ſubditos à fidelitatis Juramento *abſolvi* poſſe. De quorum veritate ut conſtet, tres habemus Pontifices, *Zachariam*, *Gregorium* ſeptimum, & *Urbanum* ſecundum, qui hæc ſanxerunt, & fecerunt etiam; tres item *Canones* Papali authoritate nixos, & in Jus iſtud relatos, in quibus eadem illa decernuntur; quos, cùm vacabit inſpicias licet, ut tibi plenius ſatisfiat.

Jam verò ſi quæſiveris quibus de cauſis Reges, an propter ſolam *Hæreſin*, de quo inter omnes convenit; an propter alia etiam crimina à Pontifice deponi poſſint? *Joannes Semeca*, qui *Gloſſam* in *Gratianum* conſcripſit, plenè & *Categoricè* reſpondet. Cum enim quæreretur,

*Gloſſ. ad Can. *ſi Papa* 6. Diſt. 40. verb. *A fide devius.*

* *Pro quo peccato poteſt deponi Imperator?* (deponi enim poſſe iis Legibus extra dubium eſt, illud modò quæritur quibus de cauſis hoc fieri liceat) Hic ille, † *Pro quolibet*, inquit, *peccato poteſt Imperator deponi, ſi ſit Incorrigibilis*; neque *pro quolibet peccato* tantum, ſed *ſi tantæ poteſtati ſit* * *Inutilis*; quod ex alio nobis *Canone* probatum dat. Ea demum miſera eſt Regum, Imperatorúmque conditio, qui ſecundum Jus illud quod *Canonicum* vocant deponi poſſunt *pro quolibet peccato*; imò quandóque etiam pro nullo, quod quidem præcipuè in causâ fuerit quare deponerentur. Cum interea eodem Jure, ſi *Papa* omnibus adeò flagitiis inquinatus fuerit, ut non ſolùm ipſe eò proficiſcatur, verum etiam * *innumerabiles populos* ſecum ad Infernum trahat; non poteſt tamen à quoquam vel *deponi*, vel *judicari*. Hæc ferè in illo apud *Gratianum Canone* habentur, & in *Annotationibus* bene longis quæ poſt adjectæ ſunt; & *Gregorius* decimus tertius *Canonem* ipſum, atque *Annotationes* iſtas approbat in eâ * Bullâ cujus ego ſæpiùs memini. Itáque eo Jure Reges, Imperatoréſque niſi bellè ſe geſſerint, *Dominóque Deo noſtro*, uti vocant, *Papæ* paruerint; niſi ſe ab eo corrigi permiſerint,

† Ibid.

* Can. *Alias* 2. Cauſ. 15. Quæſt. 6.

* Diſt. Can. *ſi Papa* 6. Diſt. 40

* Bull. Greg. 13. Corp. Jur. Can. præfix.

rint, eaq; emendaverint, quæ ipſe emendanda eſſe putat; *Pontifex* eos *deponendi* poteſtatem habet; quod & faciet certè, ſi vires etiam, & tempus huic facinori accommodum nactus fuerit.

Atque hæc quidem, & plura fortaſſis quàm oportuit, de *Jure Canonico* ſumpta ſunto: Quod mihi, profectò nihil aliud eſſe videtur, quàm quædam, figmentorum, impietatis, turbarúmque omnium ſentina. Nec enim ſcio an alius uſpiam ſit liber qui plura habeat ſcripta dolo malo confícta, & ſpecioſis quandóque nominibus ornata; aut plura dogmata flagitioſa, quibus Legum etiam authoritas tribuitur, ídque ab eo qui ſe *Chriſti Vicarium*, atque *Infallibilem* dici vult; aut plura denique principia quibus populi furor adverſus Principes armetur. Illud nunc dixiſſe contentus, oſtendam aliquando, ſi vitam mihi, otiúmque conceſſerit Deus. Quàm verò ſint hujus Juris Principia periculoſa atque pernicioſa Regibus, ex his quæ jam dicta ſunt aliquatenus perſpicere potes: ſi plura velis, ubi otium erit, conſulas atque perpendas ea loca quæ in margine citantur; unà cum * *Gloſſa* & *Caſu*; nec non Cardinalis de

* Vid. Grat. Diſt. 96. in Lem. & Can. 1,7.8.9, 10,11. cujus Lem. *Quod Imperat. debent Pontifici ſubeſſe non præeſſe.* Can. etiam 2. Can. 2,3,4.5.Cauſ. 5.quæſt. 6. & Can. *Excommunic.*47.Cauſ.23 Qu.5.& c. *Vergentis* 10.& c. *Excom.*13.& c. *abſolutos* 16. Extra.de Hær. & c.*Grav.*13. Extra. de pœnis. &c. *Ad Apoſt.* 2. de ſent. & re Judic. in 6. & 7. Dec. l. 2. Tit. 1. c. 1. Cujus Lemma, *Laicis in Clericos nulla poteſtas*,& 7.Dec.l.2.tit.2.c.2. ib.l.5 tit.3.de Hær & Schiſ.c 9.&c. & c. *Nimis* 30.Extra.de Jurejurando. Cujus Lem.*Clerici---non tenentur Laicis præſtare Juramenta fidelitatis*, & c. *Solicitæ.* 6. Extra. de Major. & Obed.

Turrecremata Commentarios in *Gratiani* Decreta, & *Panormitanum* in Epiſtolas Decretales, ne quid de reliquis dicam. Ex his enim ipſorum teſtimoniis clariſſimum erit, Juris illius principia, prout ab optimis ejus Interpretibus explicantur, Regum Jura penitus evertere, neque cum eâ obedientiâ conſiſtere poſſe, quæ iis naturæ diviniſque legibus debetur.

Verùm præter hæc privatorum hominum ſcripta, & Jus illud *Canonicum* communi uſu, & *Papali* authoritate firmatum; alia habemus majora de iis quæ diximus Dogmatibus teſtimonia; quæque apud ipſos longè pluris æſtimantur. Etenim *Pontifices* ipſi eadem profitentur in *Brevibus*, quæ dicuntur; & *Bullis* iiſq; non confictis, aut ab *Hæreticis* hominibus contaminatis; verùm in iis quæ *Romæ* quidem evulgatæ, atque * *Vaticanis Typis* excuſæ ſunt.

Ut id genus alias omittam; in his nobis occurrit illa *Pii* quinti *Bulla*, cujus hic eſt Titulus: † *Damnatio, & Excommunicatio Elizabethæ Reginæ Angliæ, eíque Adhærentium.* Innocentiſſimam Reginam, omnéſque ſubditos qui ei fidem & officium præſtare voluerunt, uno eodémque ſpiritu damnat. Atque hic illud

* Vid. Bullar. Rom. Cherub. Romæ ex Typograph Cameræ Apoſt. 1638.

† Dict. Bullar. Tom. 2. p. 229. Edit. Lugdun. 1655. Dat. Cal. Maii 1570.

lud obiter notari poteſt, inter reos haberi, *Romæque* damnari Pontificios etiam, ſi fortè Dei naturæque leges ſecuti *Hæretici* Principis dicto audientes fuerint: Iis autem *Hæreticus* eſt Sereniſſimus *Britanniarum* Rex, & quicunque Religionem reformatam profitentur. Neque enim ſolùm dicitur, * *Excommunicamus, & Anathematizamus — omnes & ſingulos Hæreticos quocunque nomine cenſeantur*; ſed & illud additur: *Eorumque receptatores, fautores, & defenſores.* Si quis igitur *Romano-Catholicus*, Regis ſui, qui *Reformatus*, adeoque iis *Hæreticus* eſt, aut *Fautor*, aut *Defenſor* fuerit, (quod omni Jure facere tenetur) eodem ille *Anathemamate* damnatur. Atque hoc *Anathema* ſingulis annis † *Romæ* recitatur; & nuper quidem in ∴ *Juris Canonici Corpus* refertur.

* Vid. Bull. Clement. 10. Dat. Rom. 7 Cal. Apr. 1671 in Bullar. Cherub. Lugd. Tom. 5. p. 528.

† In Bullâ Cœnæ.

∴ Vid. 7. Decr. l. 5. tit. 3. c. 2, 7, 9. p. 193. & 203. Edit. Lugd. 1665.

Nos vero pergamus: Ea *Pii* quinti *Bulla* qua *Elizabetham* damnaverat, *Brutum* quidem *Fulmen* fuit; cùm iis pro ſummâ ſuâ Clementiâ, benedixerit Deus, quos impius Pontifex omnibus diris devoverat: Hîc tamen nobis quædam conſideranda veniunt.

Immenſam imprimis potentiam ſibi arrogat Pontifex; etenim *Regnans*, inquit,

quit, *in excelsis, cui data omnis est in cælo & in terra potestas, unam S. Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris, videlicet Apostolorum Principi Petro, Petríque successori Romano Pontifici in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc unum super omnes gentes, & omnia regna Principem constituit, qui evellat, destruat, dissperdat, plantet & ædificet.* Hæc quidem *Jeremiæ* olim *Prophetæ*, non *Petro*, *Petríque* successoribus dicta sunt: ea verò minimè intellecta, ad res ab eorum sententiâ alienissimas detorquet hic Pontifex; quod & † alii ante ipsum fecerant. At infinitam hinc sibi etiam *destruendi* potestatem vendicat: vanam quidem illam, & ridendam, nulláque prorsus ratione nixam; at nihilominus *Caveant* sibi *Principes*; eà enim usus est Papa, quoties poterat, &, siquando ipsi commodum acciderit, denuò utetur.

His ille aliisque præmissis ad *Declaratoriam* sententiam pergit; * *Nos Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus prædictam Elizabetham Hæreticam, & Hæreticorum Fautricem, eique adhærentes in prædictis, Anathematis sententiam incurrisse, essèque à Christi corporis unione præcisos.* Tum verò quod Christianorum neminem

* Dict. Bull. Sect. 3.

Jerem. 1. 10.

† Innocent. 3. c. Solicitæ. Extra. de major. & obed. Bonifac. 8. c. unam sanctam. eodem tit.

* Dict. Bull. Sect. 3.

minem, nedum Christi *Vicarium* deceret, ipsam Regali dignitate spoliat; quam illa natalium, Deique, & hujus Regni legibus obtinuerat. * *Quinetiam ipsam prætenso Regni prædicti Jure, nec non omni, & quocunque dominio, dignitate, privilegióque privatam. Elizabethæ* Jus quod erat, ille *Prætensum* appellat; quoniam adeò sunt *Papismi* inimica Regibus Dogmata, ut ipsam propter *Hæresios*, quod vocant, crimen, Regio munere excidisse putent, etiam antequam *Anathematis* fulmine percussa esset. * Ibid. Sect. 4.

At ille pergit: * *Item Proceres, subditos & populos dicti Regni, ac cæteros omnes, qui illi quomodocunque juraverunt, à Juramento hujusmodi, ac omni prorsus dominii, fidelitatis, & obsequii debito perpetuò absolutos; prout nos illos præsentium authoritate absolvimus.* In his, ut potuit, subditos omnes eâ quam juraverant fidelitate liberat. Est verò quædam erga Principes *Fidelitas*, ad quam non minus *Naturâ*, quàm *Jurejurando* astringimur, cùm iis ipsâ nascendi conditione subjiciamur. Ne quis autem hoc sensu ductus Reginæ parere pergeret; ille ipsius quoque *naturæ* vinculum solvere conatur. * *Præcipimus, & interdicimus universis, & singulis proceribus* * Ibid. Sect. 5.

ceribus, ſubditis, populis, & aliis prædictis; ne illi, ejúſve monitis, mandatis, aut legibus audeant obedire: Qui ſecus egerint, ſimili Anathematis ſententiâ innodamus. Ex iis quæ ex hac *Bulla* excerpſimus clariſſimum eſt; *Pontificem Reginam*, quantum in ipſo erat, depoſuiſſe, ſubditos ejus à *Fidelitatis* Juramento abſolviſſe; omnéſque *Anathematum* minis perterruiſſe nè quâ ei in re audientes forent, cui naturæ, regníque legibus parere tenebantur.

Et poſt hæc omnia, ipſius Regna ac Ditiones *Philippo* ſecundo *Hiſpaniarum* Regi donavit: Quod quidem, cum ſatis alias notum eſſet * *R. Caronius* vir probus, *Romano-Catholicus*, & Sacerdos *Hibernicus* ingenuè fatetur.

Complures ſunt hujuſmodi *Bullæ* in quibus Reges, Principéſque *Anathemate* feriuntur, & deponuntur à Pontifice, ſubditíque ipſorum Fidelitatis Juramento liberantur. Atque has turbas excitat immani illâ Poteſtate fretus, quam ſibi in omnes totius Orbis Principes etiam Divino Jure arrogare non veretur. Hujus verò audaciæ aliquot exempla ponam: † *Henricus* quartus Imperator, depoſitus eſt, & bis *Anathemate* percuſſus à *Gregorio* ſeptimo;

* *In depoſitione Elizabethæ Pius. 5 Jus Britanniæ & Hiberniæ ad Philippum 2. tranſtulit; vi cujus donationis demandatus poſtea Sidonius fuit, Anno 1588. claſſe Hiſpani à inſtructus, ut Britanniæ Regna poſſideret.* Remonſtr. Hibern. per Frat. R. Caron. part. 1. c. 2. Sect. 4.

† Bullar. Rom. Tom. 1. p. 52, 53. Lugd. 1655 vid. Bin. Conc. Tom. 7. part. 1. p. 484.

* *Fre-*

[a] *Fredericus* ſecundus à *Gregorio* nono, & *Innocentio* quarto; [b] *Henricus* octavus Angliæ Rex à *Paulo* tertio: Atque, ut ne mihi neceſſe ſit alios nominare, omnes univerſim *Hæretici cujuſcunque dignitatis*, eodem *Anathemate* damnantur, in nobili illâ [c] *Bullâ Cœnæ* quæ dicitur, quæ quotannis quoque repeti ſolet, ut ſupra monui; toties igitur *Romæ* [d] inter alios hoc *Anathemate* impetitur Sereniſſimus *Britanniarum* Rex, ſubditíque ipſius Proteſtantes: *Vaticanum* certè in *Ebalem* montem converſum diceres, adeò diris & execrationibus totus perſonat. At ea quàm ſint periculoſa, & pernicioſa Regibus, cuilibet ſanè judicare promptum eſt.

Hæc autem, ut nullius momenti fuerint; ſi clariſſimorum ſcriptorum teſtimonia, ſi leges *Canonicæ Papali* authoritate munitæ, ſi Pontificum [e] *Bullæ*, ac *Decreta* non ſatis oſtenderint impium illud de deponendis Regibus eſſe Eccleſiæ Romanæ Dogma: At negari, opinor, non poterit, ſi in eâdem ſententiâ fuerint, *Concilia* etiam *Generalia*; quæ Eccleſiam omnem *repræſentare*, & *erare non poſſe* dicuntur. Ea verò illud idem decreviſſe aliquot exemplis oſtendam.

In

[a] Ibid. p. 105. & p. 112.

[b] Ibid. Tom. 1. p. 740.

[c] Vid. Dict. Bull. Tom. 3. p. 248. & conſtitut. Paul. 5. Ibid. & plurimas ejuſdem generis bullas ibi indicatas.

[d] *Etiam Imperiali, Regali, Ducali, aut alia mundana excellentia fulgentibus.* Verba Bullæ.

[e] Deut. 11. 29. & 27. 12.

[f] Vid. Paul. 4. Bullam 12. in Bull. Cherub. Rom. 1638. Tom. 1. p. 602. *Qua Imperat. Reges, &c. Hæreticos Imperiis, Regnis, et Dominiis omnibus privatos pronunciat Dominiaque illa omnia eſſe publicanda, publicata autem ſint juris & proprietatis eorum qui ipſa primo occupaverint.*

In Concilio [a] *Lugdunensi*, quod omnes fatentur fuisse *Oecumenicum*, *Innocentius* quartus *Fredericum* secundum Imperatorem deposuit: Hunc illum in eo Concilio deposuisse, nemo est, quantum novi, qui negat; atque hoc se fecisse ait, *Cum Fratribus suis & sancto Concilio deliberatione diligenti præhabitâ*; ut ex ipsâ Excommunicationis formulâ constat, quæ etiamnum in Juris *Canonici* corpore perscripta servatur. In eâ vero Eum * *Omni*, inquit, *honore sententiando privamus: Omnes qui ei Juramento Fidelitatis tenentur astricti, à Juramento hujusmodi perpetuò absolvimus:* Et præterea ait, *Quoslibet qui ei, velut Imperatori vel Regi, Concilium, vel Auxilium, vel favorem præstiterint, Excommunicationis sententiæ subjacere.*

[a] Nominatur in forma professionis à Papa faciendæ. Concil. Constantin. Sess. 39. p. 250. Edit. 1514.

[b] Cap. *Cum æterni.* Extra. de sent. & re Judicat. in 6. Titulus: *Innocentius* 4. *in Concil. Lugd.*

* Ibid.

In Concilio [b] *Laterano*, quod illi Magnum vocant, si rectè calculum ponunt, non pauciores, quàm mille ducenti octuaginta tres Patres convenerant: In eo autem *Synodicè* & *Categoricè* concluſum est; [c] *Pontificem posse Reges deponere, eorúmque subditos à Juramento Fidelitatis absolvere.* Atque hujus *Canonis* is est ordo; ut primùm [d] *moneantur, & inducantur*; & deinde, *si necesse fuerit, per censuras Ecclesiasticas compellantur potestates*

[b] Sub Innocen. 3. An. 1215.

[c] Can. 3. *De Hæreticis.* Habetur in Jure Canon. cap. *Excommunicamus* 13. Extra. de *Hæreticis.*

tes Seculares, &c. *Hæreticos* omnes ſuis finibus ejicere. Pari fermè cùm audaciâ Conciliabulum illud * *Tridentinum* ſupremos rerum Dominos alloquitur; *Sancta Synodus*——*admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes & omnes, & ſingulos, cujuſcunque ſtatus & dignitatis exſtiterint, &c. Decernit itaque & præcipit Sacros Canones, & Concilia generalia omnia*, (ideóque etiam Lateranenſe, Canonémque illum de quo nobis ſermo eſt) *& Apoſtolicas ſanctiones in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum*——*exactè ab omnibus obſervari debere*——*tanquam Dei præcipua*——*Dei ordinatione conſtituta.* Atque hujus capitis Titulus hîc eſt; * *Cogantur omnes Principes Catholici conſervare omnia Sancita*, &c. Et nihil uſitatiùs eſt ipſorum ſcriptoribus, Pontificibus, & Conciliis, quàm iſtoc modo loqui: ut videre licet, ne quos alios nominem, apud Cardinalem [a] *Tuſchum*, apud *Platinam* in vita [b] *Gregorii* ſeptimi, & in Concilio *Lateranenſi* illo quod ſub *Julio* ſecundo, & *Leone* decimo habitum eſt; ubi *Papa* in *Monitorio contra Sanctionem Pragmaticam*, ſatis pro Imperio, *Reges*, inquit, [c] *peremptoriè requirimus*. Eo igitur *Canone*, quem diximus, *Compellendi* ſunt Reges, ut quod ſuum officium eſt faciant;

* Concil. Trid. Seſſ. 25. de Reform. c. 20.

* Lem. dict. cap. edit. 1634.

[a] Card. Tuſch. Concluſ. Pract. Jur. Tom. 6. Concluſ. 41. Sect. 40. 41, 61.

[b] Platin. in vit. Greg. 7. *Imperator poteſt Cogi ad Officium Excommunicationibus & Armis.*

[c] Monitor. contra Sanct. Pragmat. *Approbante Concil.* Apud Bin. Concil. Tom. 9. p. 49. Edit. Pariſ. An. 1636

faciant; hoc est, *Hæreticos* ejiciant. Si verò quæsiveris quinam sint *Hæretici?* ii sunt quos istis videbitur eo nomine insignire. *Hæreticos ab Ecclesiâ notatos.* Tum *compellendi* etiam sunt Reges ut *Præstent publicè Juramentum quod de terris suæ Jurisdictioni subjectis universos Hæreticos ab Ecclesiâ notatos bonâ fide pro viribus exterminare studeant.——Si verò Temporalis Dominus requisitus & monitus ab Ecclesiâ terram suam purgare neglexerit ab hac Hæreticâ fœditate, per Metropolitanum & comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis Hæreticis sine ullâ contradictione possideant, & in fidei puritate conservent.* Si itaque Pontifex, & Concilium Generale rectè judicaverint, Reges, Principésque Papæ mancipiorum more subjici debent; *compellíque* ut omnes finibus suis summoveant, quoscunque ille *Hæreticos* dixerit; & Jurejurando ad ipsi obediendum teneri: Et nisi imperata fecerint, de gradu suo dejici, subditíque omni Juramentorum nexu exolvi, Regnáque

Regnáque ipſis erepta aliis donari poſſunt; quibus ſummo Pontifici collibitum fuerit. Atque hæc cum Regum dignitate, & ſalute apertiſſimè pugnare nemo eſt qui non videat.

* *Jeſuitæ* quidem & *Canoniſtæ* hunc *Lateranenſis* Concilii *Canonem*, quæque inde conſequuntur, publicè defendunt: At alios eſſe novi Pontificiæ Religionis homines quibus ea non æquè probantur. Duo igitur ſunt quæ reſpondent, aut cavillantur potiùs nonnulli, ut hujus Dogmatis odium aut effugiant, aut emolliant; invidiámque eorum minuant, quæ hinc Proteſtantes conficere ſolent.

* Vid. *The Jeſuites Loyalty.* nuper edit.

Dicunt itaque primùm in iſto *Canone* de *Feudatariis* tantum, & *ſubordinatis*; non de *Supremis*, *ſuique Juris* Principibus agi.

In eo autem manifeſtus eſt error, quòd *Canonem* ipſum non intelligentes cum diſertis ejus verbis pugnantia loquuntur. Hujus enim vi Principes omnes, quicunque tandem fuerint, ſi *Hæreticos* ejicere recuſaverint, à *Metropolitano*, & *Comprovincialibus Epiſcopis excommunicandi & poſtea à Pontifice deponendi ſunt*: Illo tamen cum diſcrimine, ut, ſi fortè Princeps *Feudatarius* fuerit, hoc tum fiat, *ſalvo Jure Domini principalis*. Domi-

* Concil. Lat. Can. 3.

nus Inferior Jus ſuum, cum deponitur, amittit; ſuperior verò ſuum, quod erat, retinet: ut ſi ei Vectigalia pendenda, aut ſervitia quædam præſtanda forent; hæc illi integra ſervari oportet; at eâ tantùm lege, * *Dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat:* hoc eſt, ſi Pontificis mandata fieri non prohibeat. Quòd ſi ſecus fecerit; ipſe quoque unà cùm *Feudatario* ſuo deponi debet. Illius enim Concilii decretum ambos pariter, ſi *Hæreticos exterminare neglexerint*, de ſuæ dignitatis faſtigio deturbari, ditionibuſque quas obtinuerant, ſpoliari jubet. Illud enim ſequitur; *Eâdem nihilominus lege ſervata circa eos qui non habent Dominos Principales.* Ideóque Supremus etiam Dominus, ſive Rex fuerit, ſive Imperator, niſi Pontificis juſſa de *Hæreticis exterminandis* gnaviter curaverit, eum hujus *Canonis* authoritate deponi debere clariſſimum eſt.

Verùm ut hoc iis, quamvis falſiſſimum ſit, concedamus tamen, *Feudatarios* tantum Dominos hîc intelligendos eſſe. Non ità gravis injuria, & minus fortaſſe malum fuerit; at erit certè maximum. Cum Poteſtas ea, quam vel hinc ſibi ſumeret Pontifex, *Feudatariis* ſaltem Do-

mini

* Ibid. *Probatur hoc non tantum ab Honorio 3. qui Innocentio 3. ſucceſſit; ſed & à Gregorio 9. qui illud in Juris Canonici Corpus retulit.* Cap. *Excommunicamus.* 13. Extra. *de Hæreticis. Idem confirmarunt Innocent.* 4 An. 1243. *Alexand.* 4. An. 1258. *Clemens* 4. An. 1265. Vid. Bullar. magn. Roman. Lugdun. 1655. Tom. 1. p. 109. col. 2. *Et ne nunc principibus magis favere videantur, Confirmatio Innocent. 3. nuper adjecta eſt ad Jus Canonicum.* Lugd. 1661. vid. 7. Decret. lib. 5. tit. 3. De Hæret. & Schiſ. c. 1, 2.

minis extremum periculum, imò certiſſimam perniciem afferre poſſet. Verùm res clarior eſt quàm ut pluribus indicari egeat.

Aliud verò eſt quod reſpondent quidam ad ea quæ ex iſto iis *Canone* objici ſolent: Aiunt enim Concilium illud *Lateranum Generale* non fuiſſe; aut ſi *Generale* fuerit nullos tamen *Canones* edidiſſe; ideóque Eccleſiam Romanam accuſari non debere, quaſi *Canonem* hunc comprobâſſet; cùm ille quidem nullus eſſet.

[a] Vid. Reſp. ad *The Jeſuites Loyalty*, Lond. 1678. p. 12. *Preſton* ſub nomine *Wytherington*, &c.

At hoc etiam falſiſſimum eſt, nullóque prorſus fundamento nititur. Eccleſia enim Romana Concilium illud *Lateranum* pro [b] *Oecumenico*, *Canonéſque*, quos ab eo editos eſſe dicimus, pro genuinis ſemper habuit; neque nunc aliter de iis exiſtimat. Quod hæc quæ dicturus ſum conſideranti clariſſimum videbitur.

[b] Vid. Bull. Innocent. 3. Titulus *Indictio ſacri, & Oecumenici Concilii Lateranenſis pro* 1. die Nov. 1215. In Bull. Rom. Tom. 1. p. 8. Edit. 1655

Quicunque de Conciliis ſcripſerunt, quos mihi hactenus videre contigit, *Generale* illud fuiſſe omnes uno ore confitentur; & plerumque *Concilium Lateranenſe magnum* vocant; *Canonéſq;* quos ei tribuimus, tanquam genuinos citare ſolent.

Pontificiique qui aut Concilia, aut Conciliorum ſummas emiſerunt; *Crabbius*,

bius, Surius, Binius, Joverius, Caranza, aliique illud universim inter *Generalia* numerant; & *Joverius*, quod rem per se manifestissimam esse consideret, [a] *Non video*, inquit, *qua fronte audeat quis negare hoc Concilium esse Oecumenicum.*

[a] Jover. Concil. Part. 1. pag. 120. in Lem. Concil. præfix.

In ultimis, præstantissimisque Juris *Canonici* editionibus ad initium præmitti solet Conciliorum omnium Catalogus; atque *Lateranense* hoc semper inter ea ponitur, quæ illi *Generalia* esse concedunt.

[b] Vid. Edit. Jur. Canon. Paris. 1612. & 1618. & Lugd. 1661.

Distinctio quædam est quam de Conciliis [c] scribentes frequenter usurpant: *Concilia* enim *Generalia vel Approbata; vel Reprobata; vel partim approbata, partim reprobata; vel nec approbata nec reprobata* esse dicunt: In postremò hoc genere ponitur Concilium illud primum quòd *Pisis* habitum est: *Lateranense* autem hoc, de quo nunc agimus, inter primi ordinis Concilia, eáque quæ ab Ecclesiâ *approbata* sunt, ab omnibus habetur. Distinctionem hanc ridendam planè esse, neque minùs cùm ipsâ veritate, quàm cùm eorum principiis pugnare, nisi aliud nunc ageretur, facilè ostenderem: Ex eâ tamen apertissimè constare arbitror quod indè probare volui, *Lateranum* hoc Concilium ab iis *Oecumenicum* existimari.

[c] Bellarm. Longus à Coriolan. Rives, &c.

Quod

Quod & in nupera probatiſſimáque Juris *Canonici* [a] editione agnoſcitur. [b] *Gregorius* enim nonus ſuo juſſu & Authoritate *Decretales* Pontificum Epiſtolas [c] *Ad communem maximè ſtudentium utilitatem* evulgavit; [d] *volens ut hac tantùm Compilatione univerſi utantur in Judiciis, & in Scholis, diſtrictiùs prohibens ne quis præſumat aliam facere, abſque authoritate ſedis Apoſtolicæ ſpeciali:* atque hæc omnia *Bulla* [e] *Gregorii* decimi tertii confirmantur. In iis autem primi Capitis titulus hic eſt; [f] *Innocentius tertius in Concilio Generali.* Et nequis ignoraret quodnam illud Concilium eſſet; nobilis quidam Juris illius [g] Conſultus in Annotationibus quas hic adjunxit. *Hoc,* inquit, *Concilium Romæ in Laterano celebratum, Anno* 1215. *& Innocentii* 3. 18. *aſſiſtentibus Hieroſol. & Conſtantinop. Patriarchis & totius ferè Orbis Epiſcopis.* Si quid itaque ponderis habeat *Decretalis* illius Epiſtolæ titulus à *Gregorio* nono publicatus, aut quòd ad ipſum annotavit *Antonius Naldus* Juriſconſultus celeberrimus, aut *Gregorii* decimi tertii authoritas qui utrumque calculo ſuo comprobavit; apertiſſimè ſequetur Concilium illud *Lateranenſe Oecumenicum* fuiſſe. Poſt autem in iiſdem *Decretali-*

[a] Corpus Jur. Can. Lugd. 1661.
[b] Vid. Bull. Greg. 9. Decretal. præfix.
[c] Ibid.
[d] Ibid.
[e] Bull. Rom. dat. Jul. 1. 1580. Corp. Jur. Can. præfix.
[f] Cap. Firmit. 1. Extra. *De ſumma Trinitate.*
[g] *Antonius Naldus,*

bus alius nobis hujuſmodi titulus occurrit— [a] *Idem in Concilio Generali.* Liquet verò, cùm ex præcedentibus ejuſdem tituli [b] capitibus, tum ex Annotationibus quæ ad hunc adjiciuntur, Pontificem hunc *Innocentium* tertium fuiſſe, Conciliúmque [c] *Lateranum*, quòd illic *Generale* dicitur.

Pluráque ſunt in [d] ſequentibus eodem pertinentia; præcipuè verò in [e] quinto *Decretalium* libro, titulóque ſeptimo, ubi Canon iſte impius, de Regibus deponendis, eorúmque ſubditis à fidelitatis Juramento abſolvendis, integer, atque etiam pro Lege habetur, & *Innocentio* tertio, Concilióque huic *Laterano* tribuitur; quòd hîc iterum *Generale* appellatur.

Quod autem rem omnem extra controverſiam poſuerit; Concilium illud *Oecumenicum* fuiſſe, *Canonéſque* quoſdam edidiſſe, ſæpiùs teſtatur [f] Concilium *Conſtantienſe*; atque hoc in iis numerat ad quorum obſervationem *quemlibet in Romanum Pontificem eligendum* Jurejurando obſtringi voluit. Atque hæc quidem iis qui nobis in hâc causâ adverſarii ſunt, ſi modò ſobrii & modeſti fuerint, ſatis eſſe arbitror: Ut verò præfervidos etiam & audaculos convincam, aliud hic

ego

[a] Cap. Nimis 30. Extra. *De Jurejurando.*
[b] Cap. *Vinitus* 16. tribuitur Innocent. 3. & 13. ſequent. cap. ut & hoc 30.
[c] Concil. Lat. ſub Innocent. 3. Annot. ad dict. cap. 30. lit. C.
[d] Cap. Qualiter 24. Extra *De Accuſationibus.*
[e] Cap. *Excommunicav.* 13. Extra. *De Hæreticis.* Vid. Lem. dict. cap. & Annot. lit. A.
[f] Concil. Conſt. Seſſ. 19. p. 126. Edit. in 8°. An. 1514. & ib. p. 280. & p. 312. in Confirmat. Conſtit. Fred. 2.
[g] Concil. Conſtant. Seſſ. 39. in forma Profeſſ. à Pap. elect. faciend.

ego unicum adjiciam. Concilium certè *Tridentinum* hoc ipſum, de quo diſputatur, *Generale* diſertim vocat; & quendam ejus *Canonem* denuò firmat.

* Seſſ. 24. c. 5. de Reformat. p. 290. Edit. Salamant. 1 88.

Atque eorum quæ jam dicta ſunt ſumma huc redit; ſi clariſſimorum, doctiſſimorúmque hominum qui de Conciliis ſcripſerunt teſtimonia; ſi ii ipſi qui Conciliorum Tomos evulgarunt; ſi probatiſſima Pontificum Decreta, quæ in ultimis optimíſque, ut iis videntur, Juris *Canonici* editionibus leguntur; ſi etiam Concilia *Generalia*, qualia apud ipſos habentur *Conſtantienſe* & *Tridentinum*, quicquam valuerint; ex his omnibus clariſſimè ſequitur *Lateranenſe* illud ſub *Innocentio* tertio ipſis *Oecumenicum* eſſe debere. Atque adeò impia illa, & execranda planè, quæ in tertio illius *Canone* perſcripta ſunt, quæq; ego ſæpius nomino; Reges, Imperatoréſque ab Epiſcopis excommunicari, ſi Papæ non paruerint; & deinde à Pontifice deponi; ſubditóſque ipſorum à fidelitatis Juramento abſolvi; Regnáque quæ poſſederant iis erepta aliis, quibus Pontifici videbitur, donari poſſe; eſſe quidem Eccleſiæ Romanæ Dogmata fateantur neceſſe eſt: Cùm hæc omnia ſtatuta ſint in Conciliis, uti ipſi putant, *Generalibus*;

Conſtitutionem ſub Innocentio 3. in Concilio Generali, quæ incipit Qualiter & quando, Synodus innovat.

quibus omnes fidem habere oportet, qui ea falli non posse arbitrantur.

Cùm verò manifestum adeò sit Pontificem, Pontificiósque Juris *Canonici*, Conciliorúmque *Generalium* authoritate adductos, nefaria hæc & seditiosa Dogmata recipere, & apertè profiteri; nemini jam difficile fuerit, modò animum advertat, clarissimè perspicere, quàm sint ea periculosa, atque etiam pernicioſa Regibus populisque omnibus; maximè autem si Religionem reformatam sequantur. Idque sive Conscientiam ipsam, animarúmque salutem spectaveris; si ea receperint: sive prudentiam civilem, vitámque, Reique publicæ statum ac dignitatem; si hæc eadem recipere recusaverint.

Ad Conscientiam quod attinet; si Pontifici se tradiderint, atque adeò ea, quæ diximus, dogmata admiserint; certum est summum indè animabus periculum, imò perniciem imminere. Quòd sic clarissimè arguitur. *Hæreticæ*, quæque Inferorum pœnas promerentur opiniones, sine certissimo animarum periculo, & pernicie recipi non possunt: Illud nemo, opinor, negaverit: At Papam posse Reges excommunicare, & deponere, subditósque à fidelitatis Juramento

to abſolvere, ita *ut liceat ipſis Reges ſic excommunicatos, & depoſitos interficere; Illud quidem ſentire *Hæreticum* eſt, quódque omnes Inferorum pœnas promeretur. Quòd olim apud nos Regnante *Jacobo*, cùm patefacta eſſet horrenda illa Conjuratio quàm *nitro-ſulphuream* vocant, Senatus frequens declaravit, atque in †*Fidelitatis Juramentum* inſeri juſſit: Quo quidem omnes obſtringendi ſunt Clerici, Nobiles, Magiſtratus, quíque ad Gradus Academicos admittuntur; ideóque Doctrinam iſtam conceptis verbis *Impiam, Damnabilem, & Hæreticam* eſſe jurant. At neque tibi, neque cuiquam, qui veritatem ipſam Eccleſiámque Anglicanam amat, pluribus probari opus eſt haſce, quas impugnamus, ſententias falſas, ſceleſtáſque eſſe, maximóque in periculo verſari miſellas animas, quibus ſic iſtis opinionum larvis illuditur, ut tam execranda non tantum cogitare, verùm etiam facere audeant. Eſt autem hujus inſaniæ caput, & fons, unde reliqua derivantur, immanis iſte *Supremat⁹*, quem Pontifex, quia *Petro* ſuccedere dicitur, ſemper quidem arrogare, &, quoties poteſt, vel in Reges ſibi ſumere ſolet. Eam certè poteſtatem neque habuit unquam, neq; ſibi

* Ut liceat, *dico, Aiunt enim non eſſe crimen læſæ majeſtatis Regem depoſitum occidere; namquæ tum Regem non eſſe; popúlóſque fidelitatis Juramento abſolutos non eſſe ei ſubditos.* Et *Papa Judice non ſunt Homicidæ qui, excommunicatos occidunt.* Determinant. Urb. 2. Lex eſt. Gratian. c. Excom. 47. Cauſ. 23. Quæſt. 5.

† *Corde meo abhorreo & deteſtor ut impiam & hæreticam, damnabilem hanc Doctrinam & poſitionem; Principes excommunicatos, aut deprivatos à Pontifice, deponi aut occidi poſſe à ſubditis ſuis, aut alio quocunque. Juram.* Stat. 5. Jac. cap 4.

ſibi deberi contendebat *Petrus*, qui neq; ſe, neque mortalium quemquam Regibus ſuperiorem eſſe putavit. Ille enim, * *ſubjecti*, inquit, *igitur eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum; ſive Regi quaſi Præcellenti, &c.* qui Regem aliis *Præcellere* ait, eum ſuperiorem habere neminem eodem ſpiritu confitetur: Cùm ſit dictu ineptiſſimum eum aliis *Præcellere*, qui alios ipſi *Præcellentes* habeat. *Petrus* omnes Regibus ſuis ſubjectos eſſe jubet, iiſque parere tanquam *Præcellentibus*, Supremíſque rerum Dominis; cùm nulli tunc eſſent Principes niſi Pagani, ac Idololatrici: Pontifex autem Regibus, ſi quos ille perperam *Hæreticos* dixerit, obſiſtere; neque iis auxiliari, aut ſubeſſe, imò verò infeſta in eos ſigna inferre jubet; illóſque † *Homicidas* eſſe negat, qui *Catholicæ*, quàm vocant, *Cauſæ zelo armati*, ipſos, alióſve *Hæreticos* occidunt; ſeque omnes Eccleſiâ ejecturum eſſe interminatur, niſi imperata fecerint. Jam verò quivis ſanæ mentis edicat mihi annon extremo in periculo conſtituta ſit eorum ſalus, qui Apoſtoli præcepta reſpuentes, impiis hiſce Pontificum mandatis obtemperant? Ipſe hominum ſervator benedictus in ſecula, cujus ſe *Vicarium* eſſe contendit Pontifex, * *Cæſar*, Pagan

* 1 Pet. 2. 13. *Torſit hic locus Innocentium tertium. Conſulas ejus ridiculam admodum interpretationem judicéſque an Infallibilis, an potius Fatuus fuerit.* Cap. *Solicitæ*. Extra. *De majoritate & Obedientiâ.*

† *Non ſunt Homicidæ, qui adverſus Excommunicatos, Zelo matris Eccleſiæ armantur.* Lemma Dict. Cap. 47. Cauſ. 23. Quæſt. 5.

* Mat. 17. 27. Vid. Rob. Abbot. de ſupr. Poteſt. Reg. prælect. 4. pag. 38.

Pagano, Idolorúmque cultori tributum pendebat: Nobis ſcilicet admirando obedientiæ exemplo præire voluit, ut ipſum ſecuti impiis etiam Principibus, & aliena ſacra colentibus parere diſceremus. Neque nos exemplo tantùm, ſed & præcepto monuit; *Reddite igitur*, inquit, *quæ ſunt* *Cæſaris, *Cæſari*. Imperatoria ei Jura tribuit; neque iis ipſum aut propter Idololatriam, aut propter reliquam impietatem privandum eſſe cenſuit. Quod idem & *Paulus* non minùs agendo, quàm præcipiendo docuit: Imperatorem enim ſe quidem ſuperiorem fuiſſe faſſus eſt; quanquam & ipſe *Apoſtolus* eſſet, neque *Petro*, neque quoquam alio * minor; quòd de ſe non ſemel in ſuis ad *Corinthios* Epiſtolis teſtatur: Ille tamen, *Ad Cæſaris*, inquit, [b] *tribunal ſto, ubi me oportet Judicari: — Si dignum morte aliquid feci, non recuſo mori.* Non ſe Magiſtratus Judicio ſubtrahit in *Cauſâ Criminali*; quod, iis quas cuderunt legibus, faceret hodiè quilibet Eccleſiæ Romanæ [c] Epiſcopus; ſed contra fatetur Civilem Poteſtatem in ipſum jus habuiſſe, ideóque ad eum provocat; [d] *Cæſarem*, inquit, *appello*. Perſpicuum eſt autem ab Inferiore ad Superiorem tanquam ad Judicem provocari, qui Juriſdictionem

* Marc. 12. 17.

* Λοιπὸν ὀφείλω μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν Αποστόλων. 2 Cor. 11. 5. & c. 12. v. 11.

[b] Act. 25. 10, 11

[c] Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 5. *De reformatione.*

[d] Act. 25. 11. Vid. R. Abbot. de ſupr. poteſt. Reg. prælect. 6. p. 60, 61.

ctionem in Provocantem habeat, cuique earum rerum, de quibus lege agitur, Cognitio data sit. Cùm igitur *Paulus* ad *Cæsarem* provocat, hoc ipso eum sui Judicem & Superiorem esse agnoscit. Adeò abhorrebat animo à nefariis, & seditiosis dogmatibus, quæ nunc tuentur Pontificii; ut Imperatorem etiam Paganum publicè agnoverit; eique se summâ cum modestiâ submiserit. Neque ipse solùm Principi suo paruit, sed & aliis, idem ut facerent, author fuit; cùm enim ad *Romanos* scriberet, eorum animos, quod *Apostolo Jesu Christi* dignum erat, ad omnem Fidelitatis, & obedientiæ laudem accendebat: [a] *Omnis*, inquit, *anima Potestatibus* [b] *sublimioribus subdita sit*: Et paulò post, [c] *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Cùm *potestates sublimiores*, vel *supereminentes* dicit: eos intelligit qui summam in Rep. dignitatem [d] obtinebant: Tunc autem summam *Romani Imperii* dignitatem obtinebat *Nero*, inquinatissimis moribus, *Gentilium* superstitionibus addictissimus, nominisq; *Christiani* hostis acerrimus; neque eo tamen minùs *omnis anima*, & *Petrus*, & *Paulus*, & quicunque ejus *Imperii* fines

a Rom. 13. 1.
b Ὑπερεχούσαις idem vocabul. 1 Pet. 2. 13.
c Rom. 13. 7.
d Ἐξουσίαι v. 1. Ἀρχοντες v. 3. Διάκονοι τοῦ Θεοῦ. v. 4.

inco-

incolebant, huic homini perditiſſimo, lege Dei *Evangelicâ*, ſubjici; eique *timorem*, *honorem*, *tributum*, cæteráque præſtare, &, quod ſubditorum eſt, parere denique tenebantur. Quod ex his *Pauli*, *Dominique* ipſius exemplis, præceptíſque manifeſtiſſimum videtur. Jam verò ea, quæ nunc Pontificiis probantur, Principia ab hiſce quàm longiſſimè diſcrepant; quicquid enim dixerint, fecerintve, & *Petrus*, & *Paulus*, & ipſe humani generis *ſervator*; agnoſcant illi, quoniam ita volunt, ſupremam *Cæſaris* poteſtatem, eique nos obtemperare jubeant, ipſique ejus juſſis pareant: *Romæ* tamen ſolum Pontificem ſupremum in omnes poteſtatem habere conceſſerint. Eum enim, ut ſupra oſtendi, [a] immane quantum! Regibus majorem faciunt: Adeò ut, ſi ipſi videatur, quemvis Principum dejicere poſſit, ſubditóſque *Anathematum* terriculamentis eò adigere, ne quem ei *timorem*, *honorem*, *tributum*, aut obedientiam præſtare audeant. Sic enim ferè concipi ſolent [b] *Bullæ* quibus damnantur

[a] Vid. dict. cap. *Solicitæ*, Extra. de Major. & Obed. cum Gloſſ. & Not.

[b] *Præcipimus univerſis ſubditis, ut illi ejuſve mandatis aut legibus audeant obedire, qui ſecus egerint Anathematis ſententiâ innodamus.* Bull. Pii 5. Damnat. Eliz. An. 1570. Eliz. 13. in Bullar. Rom. Lugd. 1655. Tom. 2. p. 3 3. Nonnunquam præcipitur, *Ne Conſilium, Juvamen operæ, operámve aliquatenus impendant Regi depoſito.* Ut in depoſit. Frederic. 2. Dict. Bullar. tom. 1. p. 106. col. 1.

nantur

nantur Principes; nominatim verò in hanc ſententiam locutus eſt *Pius* quintus cùm *Elizabetham* deponeret. Quæ cùm certiſſima ſint; Judices velim, annon ſummum ſcelus peccatúmque mortiferum fuerit, ſubditos ea Pontificiorum dogmata recipere, quæ cum ſacroſanctâ *Evangelii* doctrinâ apertiſſimè pugnant? Quod ſi fuerit, & eſt certè; tum non minus clarum erit hæc principia, ſi qui fortè talibus præſtigiis ludificati tam tetrum facinus attentaverint, miſerorum hominum animabus non tantum periculum, ſed & perniciem afferre; niſi pœnitentiâ ducti ad ſaniorem mentem redierint. Atque non ſolum hæc, Juramenta ſolvi; Reges deponi; auxilia iis negari; eorum mandata proculcari; arma contra ferri; atque ipſos etiam, trucidari poſſe; Pontificiis probata, receptáque ſunt: ſed, quòd majus eſt, quodque hîc omitti non debet, nobis compertiſſimum eſt ex Jure * *Canonico*, Pontificumque *Decretis*, nequiſſimos homines ad tanta ſcelera perpetranda, propoſito ſalutis æternæ præmio, animari; quod quidem ſingulis promittitur, ſi fortè ipſos *contra inimicos ſanctæ fidei* depugnantes occidi contigerit. Perpulchrum herclè Promiſſum, quodq; Gladiatoribus

*Vid. Gratian. Can. *Omnium* 46. Cauſ. 23. Quæſt. 5. & ib. Can. *Omni timore* 9. Quæſt. 8. Vid. Gloſſ. & Turrecrem. ad dict. Canones.

toribus ad quidlibet audendum ingentes animos facere possit. Sed cùm jamdiu solenne Pontificibus fuerit multa splendidè polliceri, quæ præstare nequeunt, *Innocentius* tertius ad hunc felicitatis cumulum aliquid adjicit; * *Omnibus* enim —— *Plenam peccatorum omnium veniam indulget, & in retributione Justorum*, non tantum salutem æternam, sed & *salutis æternæ pollicetur augmentum*. Hoc ille Cruce-signatis pollicetur: Erant hi milites conscripti ut *Terram sanctam*, uti aiebant, *Saracenis* ereptum irent; verùm ii, aut alii iisdem præmiis illecti, non ad *Terram sanctam Infidelium* jugo liberandam, sed ad † *Waldensium* stragem missi sunt; quos illi, eâdem *Indulgentiâ* furiati, omni humanitate depositâ pecudum more passim jugularunt. At quàm gravi animarum cum periculo fiat, ut homines ad tam horrenda scelera, etiam virtutis præmiis irritentur, quilibet facilè intelligit, neque necesse est illud à me pluribus ostendi. Ratum itaque esto, quod ante diximus, ea Pontificiorum Principia animarum saluti tum periculosa, tum pernicioſa esse.

Hæc ad Conscientiam, & cœlestis gaudii jacturam pertinent: At ea pariter Civili Prudentiæ inimica sunt; summam

* Vid. Bull. Innocent. 3. dat. Lateran. 19. Cal. Jan. An. Pontificat. 18. An. Dom. 1215 Mag. Bullar. Rom. Tom. 1. p. 89. dict. Bull. Sect. 17.

† *Catholici, qui crucis assumpto charactere, ad Hæreticorum exterminium se accinxerint, illâ gaudeant indulgentia quæ accedentibus ad terræ sanctæ subsidium conceditur.* Concil. Lateran. sub Innocent. 3. Can. 3. vid. Dictum Leon. Papæ apud Gratian. Can. *Omni timore* 9. Caus. 33. Quæst. 8.

mam enim Principum poteſtatem labefactant; & ſi eorum ductum ſequeremur, omnem iis ſtatum, honorem, dignitatem, vitam denique ipſam eriperent. Quod veriſſimum eſſe oſtendunt miſerandi tot Regum, Principúmque caſus, quos Pontifices, ipſorúmque aſſeclæ, dum hiſce, quæ tuentur, Principiis obſequuntur, regnis, fortuníſque omnibus exturbarunt. Quod ante Religionem Reformatam plurimis accidit, cùm Proteſtantes non eſſent; & poſtea nonnullis, qui etiam Pontificii erant. Poſt autem Religionem Reformatam Proteſtantes illi, aut pro Proteſtantibus, aut eorum *fautoribus* habitos, excommunicatos regnis ditionibúſque ſuis privarunt. Ea, fateor, *Anathematum fulmina Bruta* plerumque erant, neque eas, quas volebant, ſtrages ediderunt; ſed eſt quòd propterea divinæ quidem Providentiæ, non Pontificum arrogantiæ gratias habeamus.

Ego utriuſque generis aliquot nominabo. Certiſſimis hiſtoriarum monumentis conſtat *Chilpericum Galliarum* Regem à *Zacharia* depoſitum eſſe, circa octavæ Centuriæ medium: Ut & paulò ante *Gregorius* ſecundus * *Leonem Iſaurum* Imperatorem depoſuerat, quod ille Imagines tolli juberet. Et huic præclaro

* Vid. Baron. ad An. 730. Num. 5. & ad An. 593. Num. 86.

claro facinori plaudens *Baronius* hoc quasi Epiphonema accinit: — *Sic Exemplum posteris dignum reliquit Gregorius; ne in Ecclesiâ Christi regnare sinerentur Hæretici Principes.* Centuriâ undecimâ *Gregorius* septimus *Henricum* quartum deposuit, & Romanum Imperium seditionibus, & sanguine redundare fecit. Centuriâ duodecimâ *Sylvester* tertius *Henricum* quintum excommunicavit, *Et magnas*, inquit *Urspergensis*, *turbas in Germania excitavit. Innocentius* tertius *Othonem* quartum excommunicavit ineunte Centuriâ decimâ tertia; & eâdem Centuriâ labente *Innocentius* quartus *Fredericum* secundum deposuit. Atque ut alios omittam, miserrima Regum *Gallicorum Henrici* tertii, quartíque cædes meritò hisce principiis imputari solet; iis enim instructi, animatíque scelestissimi sicarii ad teterrimum parricidium accesserunt. Illud certè constat, vel ex * *Sermone* quem, super eâ re, *Romæ in Patrum Consistorio* habuit, *Sixtum* quintum, *Jacobi Clementis Dominicani*, qui eorum alterum jugulaverat, factum probâsse, & miris in cœlum laudibus extulisse: Adeò illum tam nefarii sceleris non pudebat: si enim, ut oportebat, puduisset, nunquam ille istum *Sermonem*

* Paris. 1589. juxta Exemp l. Rom testant. 3. Doctor. Sorbon.

edi, & in manus hominum venire paſſus eſſet.

Quanquam autem hæc Papiſmi principia, de quibus diſſerimus, etiam Principibus *Romano-Catholicis* periculoſa admodum ſint, ut ex antè dictis liquet; ea tamen præcipuè Regibus populíſque Proteſtantibus perniciem minitantur. Illi enim omnes ante * annos ferè centum & viginti à *Paulo* quarto *Hæretici* declarati, excommunicati, & ſolenni Anathemate damnati ſunt; quod & nuper, quò res pluribus notior eſſet, in † Jus *Canonicum* inſeri placuit. Atque hic multa ſunt notatu non indigna. Omnes quidem *Hæretici*, nullo diſcrimine, eodem Anathemate feriuntur; *Quacunque dignitate, etiam Comitali, Baronali, Marchionali, Ducali, Regiâ, ſeu Imperiali præfulgeant.* Neque illi ſolum damnantur, *Quicunque hactenus deviarunt*; *ſed ii etiam qui in poſterum deviabunt, ſeu in Hæreſin incident.* Ideóque Sereniſſimus Rex qui hodiè nobis imperat, ipſiúſque ſubditi Proteſtantes non minus hiſce Diris impetuntur, quàm *Elizabetha*, quíque ſub ea erant, cùm ipſa regnum auſpicaretur: quo quidem tempore hæc *Bulla* primùm edita eſt. Neque ea temere excidit, ſed *Habitâ cum Cardinalibus delibe-*

* Bull. dat. Rom. An. 1588

† Decret. lib. Tit. 3. de Hær. & Schiſm. c. 9.

ratione

ratione maturâ, & de eorum conſilio, & unanimi conſenſu. Erat itaque meditatum, diúque ante præparatum ſcelus: Meditatum fuiſſe ipſe Pontifex fatetur; atque quin ſummum ſcelus fuerit nemo unquam ſanus dubitabit. Atque hic Papa vide quàm durus, & ſeverus ſit Pater: *Omnes*, inquit, *Suſpenſionis, Excommunicationis, Interdicti, Privationis pœnas, à quibuſvis Romanis Pontificibus, aut pro talibus habitis, per eorum literas Extravagantes, ſeu in Conciliis, ſeu Patrum Decretis, & Canonibus quomodolibet contra Hæreticos latas, approbamus, innovamus, & perpetuo obſervari volumus.* Atque Reges, aut Imperatores Pontificias Leges violare ſi auſi fuerint; *Regnis & Imperio penitus, & in totum, prepetuo ſint privati, & ad illa de cætero inhabiles & incapaces. Barones* etiam, *Comites, Marchiones, Duces*, reliquíque, ut & *Epiſcopi, Archiepiſcopique*, qui vel *Hæretici* tum erant, vel *in poſterum in Hæreſin incident*, eodem Anathemate innodantur. Neque erat hæc duratura ad tempus tantùm, ſed *Conſtitutio in Hæreticos in perpetuum valitura.* Neque hîc lite intentatâ, neque conteſtatâ, neque longis actionibus opus eſt; ut in foro Civili fieri conſuevit; verùm *Hæretici* omnes neque accuſati,

neque convicti, *Eo ipſo, abſque aliquo Juris, vel facti miniſterio*, hoc ſtatim Anathemate percelluntur. Quod ad Regem igitur ipſum, omnéſque propè *Anglorum* Nobiles, necnon Archiepiſcopos, Epiſcopóſque, eorúmque * *Receptatores, fautoréſque* pertingere intelligitur; cùm ſint Proteſtantes, Pontificis judicio, *Hæretici* ut qui maximé. Atque hîc ego Pontificios noſtrates, qui ſuam in Regem fidem tantopere deprædicant, unicum illud rogatos velim; An Regi ſuo faveant? ſi non; tum minimè faciunt quod viros bonos, ſubditóſque facere eſt æquum: ſi verò faveant; tum ſententiæ Judicis, quem illi ſupremum atque Infallibilem putant, apertè obnituntur; & iiſdem, quibus nos, Diris fulminantur: Adeóq; Eccleſiæ Romanæ Communionem amittunt; de quâ quidem illi, ſed ſine causâ, plurimùm gloriantur.

* Vid. Conſtit. 34. Clem. Papæ 10. & Alexand. 7. Conſt. 16. dat. Rom. An. 1656. In Bullar. tom. 4. p. 218.

Sed ne illud *Anathema*, ſemel tantum denuntiatum, ad Proteſtantium ruinam parùm proficeret; ea † *Bulla* quotannis, uti diximus, recitari ſolet, quâ damnantur univerſi, cujuſcunque Ordinis, Reformati. *Excommunicamus, & Anathematizamus*, inquit Pontifex, *ex parte Dei, & authoritate Petri, & Pauli, ac noſtrâ, quoſcunque Huſſitas, Wickliffiſtas, Lutheranos,*

† Bull. Rom. Tom. 4. p. 528. Conſtit. 34. Clem. 10. An. 1671.

theranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Ugonottos, &c. eorúmque receptatores, fautores, & defenſores. Atque hîc iterum Romano-Catholicos ſeriò ſecum meditari oportet, in quas ipſos anguſtias immoderata Pontificum ambitio, ac faſtus adduxerit. Si enim, uti par eſt, Regem defenderint; tam hoc *Anathemate* feriuntur: ſi verò non defenderint; tum à fide, officióque ſuo diſcedunt; eaque negligunt, ad quæ quidem inſolubili Dei, naturæque legis nexu tenebantur; ideóque, non ſine magno ſuo merito, majoribus Diris excipiantur, cœlíque gaudiis excidant neceſſe eſt. Jam autem hanc mihi quæſtiunculam ſolvant; Deóne potius, an Pontifici parendum eſſe cenſeant?

Sed nullus eſt Papalis arrogantiæ modus. Poſtquam enim *Hæretici* Principes *excommunicati, depoſiti, omníque Regali dignitate in totum privati*, ejúſque ne unquam Jura ſua repetant, de *cætero incapaces* dicti ſunt; aliud eſt quod rectâ hinc conſequi volunt. Eorum enim ſubditi ab omni tum Fidelitatis vinculo abſolvi dicuntur. Decrevit hoc [a] *Honorius* tertius, *Gregorius* nonus [b] legibus adſcripſit, & [c] *Gregorius* decimus tertius comprobavit. *Domino Excommunicato manente, ſubditi*

[a] Honor. 3. Præpoſ. Archidiac. & H. Can. Sueſſion.
[b] Cap. *Gravem*, 13. Extra. *De Pœnis.*
[c] In Bull. Corp. Jur. Canon. præfix.

ſubditi fidelitatem non debent. Illud in Titulo iſtius capitis ponitur, in quo de *Comite* quodam Excommunicato agitur. In ipſo autem capite Pontifex, *Fideles*, inquit, *ipſius (quamdiu in Excommunicatione perſtiterit) ab ejus Fidelitatis Juramento denuntietis penitus abſolutos.* Hæc in ipsâ Lege; ſi verò *Gloſſam*, & Cardinalis *de Turrecremata* in eum locum Commentarios conſulueris, ejuſdem farinæ plura invenias. Vides quam ſint hæc periculoſa ſereniſſimo *Britanniarum* Regi, reliquíſque Principibus Proteſtantibus, qui *Romæ* pro *Excommunicatis* habentur; quámque diligenter ipſos à à ſubditis, ſi quos habuerint, Pontificiis cavere oporteat: Cum ii Legibus ſuis,& à ſupremo, infallibilíque, ut putant, Judice ſic ſint inſtituti, ut perſuaſiſſimum habeant nullam ipſis fidem, aut obſequium deberi.

Verùm ut minora ſint hæc; eſt aliud longè gravius, & multo magis horrendum, quod *Excommunicatis* impendere arbitrantur. Ea enim, quæ diximus, mala, quæ ad Poteſtatem, bona, vitámque ipſam attinent, quamvis ſint maxima, temporaria tamen ſunt. Aiunt verò alium eſſe præterea horum *Anathematum* effectum; extremáſque inde animarum miſerias

miſerias derivari. *Hæreticos* enim Excommunicatos, atque ita de vitâ migrantes, ad æternos haud dubiò cruciatus proficiſci ſtatuuut. Et nobilis certè [a] *Canoniſta* noſtras, qui vigente hic Papiſmo floruit, *Excommunicatus*, inquit, *eſt membrum Diaboli:* quod ut probet *Gratianum* ille, & leges quaſdam [b] *Canonicas* in medium affert. Et alius *Lindwodo* & *Gratiano* quidem poſterior, at [c] Author utroque longe major, *Gregorius*, inquit, *ſeptimus Henricum quartum non modo deponi, ſed etiam excommunicari, & in æterno examine damnari decrevit.* Atque hic ipſius *Gregorii* [d] epiſtolas citat; qui quid ipſe judicaret, quæque eſſet *Decreti* ſui ſententia omnium profectò optimè intellexit. Si igitur Pontificem, Cardinalémque ſequi velimus, Excommunicatio eſt Papale *Decretum*, & ſententia Judicialis quâ homines ad æterna ſupplicia damnantur. Unde facilè explicari poſſunt tituli, qui hujuſmodi Bullis præfigi ſolent; quales ſunt iſti, [e] *Damnatio & Excommunicatio Henrici octavi* quam *Paulus* tertius; [f] *Damnatio, & Excommunicatio Elizabethæ*, quam poſtea *Pius* quintus emiſit. Videtur enim ex iis quæ modò adduximus, non ſolum temporariam hic aliquam, ſed æternam animæ, corporiſque

[a] Lindewood in Gloſſ. ad c. *Seculi Principes.* Verbo *Reciliationis.* De *Immunit. Eccl.*
[b] Gratian. Can. *Omnis Chriſtianus* 32. Cauſ. 11. Quæſt.
[c] Baron. Annal. Tom. 8. ad An. Chriſt. 593. num. 86.
[d] Greg. 7. l. 4. Epiſt. 2. & 22. & lib. 8. Epiſt. 21.
[e] Bull. Rom. Paul. 3. Conſt. 7. p. 704. Tom. 1. in Magn. Bull. Rom. Lugdun. 1655.
[f] Conſtit. Pii 5. 101. Ibid. Tom. 2 p. 303.

que *Damnationem* intelligi debere: quam quidem illi, omni simul pietate, & charitate depositâ, omnibus *Anathemate* percussis denunciari, & infligi posse sperant. Atque hinc clarissimè consequitur, Protestantes universos, Reges, subditósque, Papali authoritate *excommunicatos*, Inferorum pœnis obnoxios haberi; & si, ut fieri oportet, non acceptâ abi is Absolutione vitâ functi fuerint, ad æterna supplicia transire; si quidem *Romanenses* hosce Theologos sequi velis, qui neque fraternam charitatem, neque Religionis Christianæ candorem flocci faciunt. Hæc à me dicta sunt, non quod Bullas istas atque *Anathemata* eam vim habere suspicer, ut tantum iis, qui dicuntur, *Hæreticis* periculum afferre possint: Ea enim novi Ignes esse fatuos, & inania tantum crepitacula, quæ neque nunc animabus nocere, neque earum salutem in posterum impedire valeant. Nihilominus tamen cùm ea rectè, & sine omni Conscientiæ labe fieri posse dicuntur; certum est subditos hinc ad seditiones, Principúmque contemptum, cædémque, ac scelestissima quæque incitari. Si enim Pontificem Principes quoscunque Regali dignitate privandi potestatem habere, suúmque etiam privâsse crediderint;

séque

ſéque adeo omni fidelitatis vinculo liberatos putaverint; *Excommunicatúmque Diaboli membrum* eſſe, atque certiſſimè *Damnatum* iri, neque eſſe *Homicidam*, ſi quis ipſum interfecerit: ſi qui fortè hæc opinionum portenta admiſerint (quod facere oportet omnes qui Pontifici obediunt; quíque ipſum, aut *Romanam Eccleſiam Infallibilem* putant) ii certè ſummam inde Principis ſui juſſa proculcandi, arma contrà ferendi, atque, ſi tanti ſceleris perpetrandi occaſio data fuerit, ipſum etiam trucidandi audaciam facilè arripiant: Cum Pontifex, legéſque ab ipſis receptæ, Conciliáque Generalia eum Deo, hominibúſque inviſiſſimum eſſe declaraverint. Quódque majores iis animos facere poſſit, ſi ipſos de Principe tollendo cogitantes occidi contigerit, ſuis tum *Martyres* erunt, & eorum nomina *Calendario* rubentibus literis inſcribentur. Quem quidem honorem *Campiano*, *Garnetto*, aliíſque Proditoribus habitum eſſe novimus. Eam iis gloriam tantum abeſt ut invideam, ut, cum multis optimorum hominum millibus, lætarer etiam; ſi illos, qui noſtro nunc exitio imminent, pro ſuis in Regem, Rémque publicam meritis, eodem *Martyrii* genere coronatos viderem. Sic enim

enim magno demum metu liberati eſſemus, quem ea nobis juſtiſſimum incutiunt, quæ nuper in clementiſſimi Regis, Regníque, Eccleſiæque hujus ſalutem machinati ſunt perditiſſimi Sicarii; atque uti credere par eſt, dum illi vitam, viréſque habebunt, nunquam deſinent machinari: Quod Deus omen avertat.

Sunt hæc notiſſima Eccleſiæ *Romanæ* Dogmata, uſu recepta, ſummáque apud ipſos authoritate, firmata; quibus quidem ſi crederetur tantùm, maximum exinde periculum immineret; ſi verò ex eorum præſcripto agerent etiam homines, certiſſimam omnibus, præcipuè autem *Hæreticis*, quos vocant, Regibus, populíſque ruinam, ac interitum afferrent. Et Pontificiorum factio, maximè *Jeſuitæ*, ex quo * primum ea ſocietas malo omine inſtituta eſt, *Eccleſiaſtici*que omnes, tum *Seculares*, tum *Regulares*, quíque ipſis favebant, hiſce principiis per aliquot ſecula obſequuti ſunt. Et quas illi ſtrages ediderint, quos Reges depoſuerint, quas Tragœdias excitaverint, quam miſeris modis hac Fide, atque his moribus omnia perturbaverint, noſtræ atque exterarum gentium hiſtoriæ clariſſimè teſtantur.

* Jeſuit. Ord. Inſtit. ut à Paul. 3. Ann. 1540. Vid. Bull. Rom. Lugd. Tom. 1. p. 738.

Atque

Atque hîc ego deplorandas *Waldenſium* lanienas prætereo; quos quidem illi, hiſce dogmatibus inſtructi, armatâ manu, ferro, flammíſque, & *Inquiſitionum* cruciatibus perſecuti ſunt; & infinita propè eorum millia, ut vel ex Pontificiorum ſcriptis conſtare poteſt, crudeliſſimè ſæpè Causâ indictâ, & inauditâ occiderunt; idque in *Galliâ* maximè; nè quid dicam quid in aliis orbis regionibus factum fuerit.

[a] Vid. Mat. Pariſ. Ann. 1100. & Hiſt. Walden. Director. Inquiſit. Ni. Eymeric. Hiſt. Inquiſit. Armachan. de Stat. & Succeſſ. Eccleſ.

Tecum autem perpendas velim barbarum planè atque horrendum facinus; ſtragem illam dico quæ in *Galliâ* facta eſt Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo; cum Proteſtantes innocui, [b] ad triginta, aut quadraginta hominum millia, partim *Pariſiis*, partim alibi, à Pontificiis, eadem hæc principia ſequentibus, ſæviſſimè, & inopinatò interfecti ſunt. Neque ea rabies ab Eccleſiâ *Romanâ* publicè damnata eſt; neque iſti Carnifices iis, quibus digni erant, ſuppliciis affecti; verùm cùm *Romæ*, quid acciderit, nuntiatum eſſet, ut in re bene, fortitérque geſtâ fieri ſolet, [c] ſupplicationes Deo immortali decretæ ſunt; Quaſi ipſe, quod horreo dicere, ſceleris author & conſors fuiſſet. Neque *Romæ* ſolùm, ſed aliàs quoq; illius cladis fama

[b] Abregé Chronol. & par le Sieur de Mezeray. Pariſ. 1667. Tom. 3. p. 1082, 1086. Ann. 1572.

[c] Thuan. Hiſt. lib. 53. Ann. 1572. p. 837. Edit. 1620. Fam. Strad. de Bell. Belg. l. 7. p. 373. Edit. Rom. 1648.

ma Pontificiis plurimum lætitiæ attulit. Quæ res apertè indicat eos ista probare, de quibus ſibi ſuiſque gratulari audeant.

Omitto libens ſeditiones, ac tumultus plurimos, quos homines ſceleſtiſſimi iiſdem principiis animati ſub *Henrico* octavo, poſtquam ille Pontificis *Suprematum* abrogâſſet, ac deinde *Edvardo* ſexto regnante excitarunt. Nemini verò ignotum eſſe opinor quoties illi in * *Elizabetham* conjuraverint; quamque ſedulò eniſi ſint ut pientiſſimam Reginam aut veneno, aut ſclopetorum ictibus, aut aliis, ipſis quidem uſitatis, occidendi artibus de medio tollerent: Nonnunquam & ſubditos ad rebellandum concitabant, exercitus conſcribebant, ut ipſam, Religionémque unà Reformatam extirparent; cum Pontifex impios hujuſmodi conatus & benedicendo, &, quæ poterat, auxilia præſtando adjuvaret. Atq; hæc omnia cùm parum pro ipſorum voto ſuccederent; *Pius* quintus, quâ erat liberalitate, hæc *Angliæ*, *Hiberniæque* regna *Philippo* ſecundo *Hiſpaniarum* Regi * dono dedit: Ille autem *Sidonium Invincibili*, ſic enim vocabant, Claſſe, & Pontificiis Benedictionibus inſtructiſſimum, ad ea ipſius nomine occupanda miſit; verùm

* Vid. Speed. Chron. in Eliz. An. 1584. & ib. p. 1263. num. 122.

* Remonſt. Hibern. per frat. R. Caron. Part. 1. c. 3. Sect. 4.

ea

ea classis non Reginæ navibus, quæ perpaucæ quidem, & contemnendæ molis erant; sed cœlo nobis favente, non sine divinæ Providentiæ miraculo, procellis, & tempestatibus tota ferè demersa est: Quod tunc adeò clarum erat ut *Sidonium* blasphemantem dejerâsse ferant; *Vereri se ne Jesus Christus ad Lutheranos transiisset.* *Philippus* autem accepto tantæ cladis nuntio, omnia, uti æquum erat, summi Numinis Providentiæ tribuebat; graviúsque multo ac prudentius, *Hanc*, inquiebat, *Classem comparabam, non ut adversus Deum, sed ut cum hominibus bellum gererem.*

Reginâ tandem mortuâ, non simul cum ipsâ extinctæ sunt Conjurationes Pontificiæ: non quiescebat Papisticæ factionis odium; eadem illos impietas agitabat; easdem, quas olim, nobis struebant insidias. Sciebant quidem *Angliæ* Coronam *Jacobo* Reformatæ Religionis Regi hæreditario Jure obvenisse; neque eo tamen minus hunc illi quibus poterant artibus & commentis, hujus Regni possessione arcere conabantur. Quod ut fieret, *Parsonius Jesuita* librum quendam conscripsit, in quo ostendere voluit, *Jacobum* nihil omninò Juris habuisse ad *Angliæ* Coronam. At erat illud mendacium

dacium ita luculentum, ut is ipſe ſe falſiſſima ſcribere non ignoraret: Quicquid enim Juris aut à *Saxonicis*, aut *Normannicis*, aut *Eboracenſibus*, aut *Lancaſtrenſibus* majoribus derivari potuit; illud totum ſine controverſiâ ad unum *Jacobum* devenerat. Cum verò hiſce Næniis non ita multum proficerent; cúmque illud, quod inceptabant, opus cum ratione rectâ, & Religione pariter pugnaret; aliud illi horrendum magis excogitant, & ad exitum perducere ſtatuunt; quale antehac nec Paganorum immanitas, nec infernales Furiæ unquam perfecerant. Conjurationem * *Nitro-ſulphuream* malis avibus aggrediuntur; non quotidianum, aut prioribus ſeculis notum facinus, quale erat illud cum Rege ferro, aut veneno tollerent; ſed teterrimum, & ante eum diem inauditum, & *Romanenſi*, ac *Jeſuiticâ* audaciâ dignum ſcelus. Senatum omnem in aerem ſublevatum uno tormentarii pulveris ictu diſcerpere; Regem, Proceres, & Cameræ inferioris ſelectiſſimos viros, tetúmque adeò Regnum, in ejus qui dicuntur, *Repræſentativis* trucidare feſtinant; idque puncto temporis, cum illi ingens, quod imminebat, periculum nec ſuſpicari, nedum prævidere poterant.

* Vid. Act. Parl. 3 Jacob. c. 4, 5.

Quan-

Quanquam autem eſſet hoc, ut ſupra quàm cogitari poteſt impium, ita occultiſſimum, atque in terram defoſſum nefas, & ad quod tegendum nefarii Parricidæ ſeſe Sacramento obligaverant; nullis tamen artibus ſummi numinis providentia eluditur; neque quicquam eſt quod Divinæ Omniſcientiæ conſpectum fugiat. Vidit Deus, &, pro infinitâ ſuâ Clementiâ, ſceleſtiſſimam Conjurationem patefecit, populúmque ſuum præſentiſſimâ cæde, ac ruinâ liberavit. Quod Pontificios, qui iſta approbant, æterno, rubore ſuffunderet, niſi planè omnis iis pudor periiſſet.

Poſtquam *Jacobus* terrenum relinquens, ad pacatius regnum tranſierat, ubi nullæ amplius Pontificiorum fraudes metuendæ eſſent, quóque iſti neutiquam pervenient, niſi eo ſeriò, ac tempeſtivè ſuorum ſcelerum pœnituerit; nondum ſopita ſunt perditorum hominum conſilia; eadem illi incepta perſequuntur, & non minùs induſtriè ſub *Carolo* primo, quam anteâ ſub *Jacobo* feçerant, Eccleſiæ hujus, cultúſque reformati caſum, ac interitum moliuntur. Atque res eo tandem perducta eſt, ut, quoniam alia nequicquam tentaverant, Regem atque Archiepiſcopum *Cantuarienſem* de medio tolli

dacium ita luculentum, ut is ipſe ſe falſiſſima ſcribere non ignoraret: Quicquid enim Juris aut à *Saxonicis*, aut *Normannicis*, aut *Eboracenſibus*, aut *Lancaſtrenſibus* majoribus derivari potuit; illud totum ſine controverſiâ ad unum *Jacobum* devenerat. Cum verò hiſce Næniis non ita multum proficerent; cúmq; illud, quod inceptabant, opus cum ratione rectâ, & Religione pariter pugnaret; aliud illi horrendum magis excogitant, & ad exitum perducere ſtatuunt; quale antehac nec Paganorum immanitas, nec infernales Furiæ unquam perſecerant. Conjurationem * *Nitro-ſulphuream* malis avibus aggrediuntur; non quotidianum, aut prioribus ſeculis notum facinus, quale erat illud cum Rege ferro, aut veneno tollerent; ſed teterrimum, & ante eum diem inauditum, & *Romanenſi*, ac *Jeſuiticâ* audaciâ dignum ſcelus. Senatum omnem in aerem ſublevatum uno tormentarii pulveris ictu diſcerpere; Regem, Proceres, & Cameræ inferioris ſelectiſſimos viros, totúmque adeò Regnum, in ejus qui dicuntur, *Repræſentativis* trucidare feſtinant; idque puncto temporis, cum illi ingens, quod imminebat, periculum nec ſuſpicari, nedum prævidere poterant.

* Vid. Act. Parl. 3 Jacob. c. 4, 5.

Quan-

Quanquam autem eſſet hoc, ut ſupra quàm cogitari poteſt impium, ita occultiſſimum, atque in terram defoſſum nefas, & ad quod tegendum nefarii Parricidæ ſeſe Sacramento obligaverant; nullis tamen artibus ſummi numinis providentia eluditur; neque quicquam eſt quod Divinæ Omniſcientiæ conſpectum fugiat. Vidit Deus, &, pro infinitâ ſuâ Clementiâ, ſceleſtiſſimam Conjurationem patefecit, populúmque ſuum præſentiſſimâ cæde, ac ruinâ liberavit. Quod Pontificios, qui iſta approbant, æterno, rubore ſuffunderet, niſi planè omnis iis pudor periiſſet.

Poſtquam *Jacobus* terrenum relinquens, ad pacatius regnum tranſierat, ubi nullæ amplius Pontificiorum fraudes metuendæ eſſent, quóque iſti neutiquam pervenient, niſi eo ſeriò, ac tempeſtivè ſuorum ſcelerum pœnituerit; nondum ſopita ſunt perditorum hominum conſilia; eadem illi incepta perſequuntur, & non minùs induſtriè ſub *Carolo* primo, quam anteâ ſub *Jacobo* fecerant, Eccleſiæ hujus, cultúſque reformati caſum, ac interitum moliuntur. Atque res eo tandem perducta eſt, ut, quoniam alia nequicquam tentaverant, Regem atque Archiepiſcopum *Cantuarienſem* de medio tolli

tolli curarent. Sic enim rebus ſuis optimè conſultum fore putabant, eámque Religionem reduci poſſe, quam illi ſolam Catholicam, & Chriſtianam vocant; eſſe autem nemo facilè crediderit: Namque ut *Turciſmus*, & fœdiſſimi *Mahometis*, aut etiam Pontificiorum errores homicidiis, & miſerandâ mortalium ſtrage adſtrui poſſint; at tantis ſceleribus nunquam propagabitur Pietas verè Chriſtiana. Eam verò, quam dixi Conjurationem vir quidam *nobilis ad †Legatum, qui tum in *Hollandiâ* erat, *Anglicanum* detulit; qui Archiepiſcopum de cogitato ſcelere certiorem fecit; ille verò Regi rem omnem aperuit. Et literæ quidem Archetypæ, in quibus iſta explicantur, poſt Archiepiſcopi mortem, in illius Bibliothecâ repertæ; poſteáque typis excuſæ in manus hominum venerunt. Cœperunt interea omnia apud nos bellis civilibus ardeſcere; & Pontificii hiſce, quorum ſæpiùs memini, principiis, & Papali gratiâ animati omnium primi arma arripiunt; atque in *Hibernià* ſupra centum Proteſtantium millia turpiſſimè occidunt; nullâ re laceſſiti, niſi quòd illis, ut *Cauſæ Catholicæ*, quam dicunt, ſuppetias ferant, non ſolùm honeſtum, ſed & magni inſtar meriti ſit *Hæreticos* trucidare:

* Andreas ab Habernfield.
† Guliel. Boſwel Eq. Aur. Legat. Hagæ-Com.

dare. Ea cædes *Anglis* omnibus, *Hibernisque* notissima est. Postea autem cùm eadem rebellandi rabies latius serperet, quam quidem Anglicani perduelles palàm, Pontificii verò occultè fovebant; cúmque demum Rex optimus ab hostibus captus, & in carcerem conjectus, securi feriendus servaretur, (námq; Principum carceres à vitæ metâ haud multùm abesse dicunt) tum quidem Papistæ conjurati quoddam sacerdotum, ac *Jesuitarum* conciliabulum *Londini* habuerunt; illi alios *Lutetiæ Parisiorum* confidentes rerum suarum statum edocebunt; ii omnia *Romæ* nuntiari curabant; atque inde quidam cum mandatis, monitísque quid consilii capiendum foret, *Parisiensibus* iterum salutatis, *Londinum* denuò veniebant. Ad summam, Regem morte mulctari *Catholicæ causæ* interesse decretum est; ideóque à Conciliabulo *Londinensi* in eam sententiam itum est. Hæc* vir venerabilis doctúsque scriptis editis divulgavit; cuique adeò comperta sunt ista, ut se ea, si quis postulaverit, pluribus ostensurum polliceatur: Neq; hactenus, quantum audio, repertus est quisquam, neque unquam repertum iri puto, qui illud postulaverit. Non levi enim ratione inductus credo, posse ipsum

* Pet. Molin. in Responſ. ad Phila. Anglic.

ſanguinarias horum hominum Conjurationes, eaque quæ dixerat omnia certiſſimis indiciis demonſtrare.

Ex iis quæ jam dicta ſunt ſatis conſtare arbitror, ſeditioſa Pontificiorum dogmata, & facta etiam, poſt Religionem reformatam, Principibus, eorúmque ſubditis proteſtantibus ſemper periculoſa admodum fuiſſe: Quæque extremam utriſque perniciem attuliſſent; ſi modo perfeciſſent iſti, quæ diu ante cogitata, ſummâ impietate, nec minore ſtudio dies, noctéſque agitabant. Imò verò, quod hîc non attigeram, cum univerſa *Anglorum* natio *Romanæ* Eccleſiæ communione uteretur; ſimulatque tamen *Henricus* octavus, Senatúſque, & Synodus (*Romano-Catholici* omnes, & à Proteſtantium fide alieniſſimi) eum, quem Papa ſibi ſumpſerat, *Suprematum* [a] lege latâ abſtuliſſent; ut ſcias Pontifices hiſce principiis congruenter agere, *Paulus* tertius Regem, fideléſque ipſius ſubditos [b] *Excommunicat*, *damnatque*: Et [c] *Requirimus*, inquit, *quatenus Henricus Rex Leges* [de Suprematu] *prædictas revocet, caſſet, annullet.* Et poſt: [d] *Strictè præcipiendo mandamus, quatenus Henricus Rex per ſe, vel procuratorem infra nonaginta dies, fautores verò, & ei adhærentes*

[a] Stat. 24 H.8. 12. & 25 H.8. cap. 19,20,21.

[b] Damnatio & Excommunicatio H. 8. ejuſque fautorum, & complicum, &c. Bull. Rom. Lugd. 1655. Tom. 1. p. 704.

[c] Dict. Bull. Sect. 4.

[d] Ib. Sect 7.

tes

tes (hoc eſt, optimi quique ſubditorum, præſertim è Senatu, Synodóque qui erant) *infra Sexaginta dies compareant coram nobis.* Si verò illi non comparerent, tum ſententiam firmat; & [a] *Henricum*, inquit, *Regem privationis Regni, & Dominiorum pœnas incurriſſe declaramus.* —— Et [b] *ſi interim* [non accepta Abſolutione] *ab humanis decedunt* [uti pòſt iis accidit] *Eccleſiaſticâ debere carere ſepulturâ, authoritate & poteſtatis plenitudine decernimus, eóſque Anathematis, Maledictionis, & Damnationis æternæ mucrone percutimus.* —— [c] *Henrici Dominia, Civitates, &c. Interdicto ſupponimus.* —— [d] *Nequeant Miſſæ, aut alia divina officia celebrari.* —— [e] *Omnes Henrici Regis ex Anna, ac ſingulorum ejus adhærentium filios, natos & naſcituros alióſque deſcendentes* (nemine excepto) *honoribus, dignitatibus, bonis mobilibus & immobilibus, &c. privatos, & ad illa, aut alia obtinenda inhabiles eſſe declaramus, ac authoritate, ſcientia, ac plenitudine ſimilibus inhabilitamus.* —— [f] *Omnes ſub Excommunicationis, ac aliis pœnis monemus, ut præfatos maledictos, ac privatos, evitent, &, quantum in iis eſt, ab aliis evitari faciant: nec cùm præfati Regis Dominiorum, Civitatum, &c. Subditis aut incolis emendo,*

[a] Ibid.
[b] Ibid.
[c] Ibid. Sect. 8.
[d] Ibid.
[e] Ibid. Sect. 9.
[f] Ibid. Sect. 12.

vendendo, &c. quamcunque mercaturam, commercium, aut communionem habeant,

[a] Ibid. Sect. 15. — [a] *Omnes Chriſtianos Principes (etiam Imperiali aut Regali dignitate fulgentes) per viſcera miſericordiæ Dei noſtri (cujus cauſa agitur) hortamur, & in Domino requirimus — ſub excommunicationis pœnâ mandantes ne Henrico, ejuſque complicibus, &c.*

[b] Ibid. [b] *Juramenta, confœderationes, obligationes quæ Henricum juvare poſſunt, irritas, caſſas, & inanes decernimus.* —

[c] Ibid. Sect. 16, 17. *Principes & quoſcunque alios militantes, per mare, vel terras, requirimus, mandantes quatenus Henricum Regem, & ei adhærentes (dum contra ſanctam ſedem in Rebellione permanſerint) armis inſurgant, eoſque perſequantur, & ad obedientiam dictæ ſedis redire cogant, eorúmque bona, navigia, animalia, &c. ubilibet (etiam extra territorium Henrici Regis) conſiſtentia capiant: & ſic capta in proprios uſus convertendi authoritatem concedimus, illaque omnia ad capientes plenarie pertinere, & perſonas, vel ex regno dicto originem trahentes, vel in eo habitantes, mandatis noſtris non obtemperantes, ubicunque eos capi contigerit, capientium ſervos fieri decernentes.* Ea quidem in hâc Bullâ perſcripta ſunt; quæ neque naturæ Lex, neque

neque ſacra Scriptura, neque recta Ratio, neque Religio Chriſtiana fieri pateretur. Venit in mundum hominum Salvator, Pacis Princeps, non ut perderet, ſed ut perdita ſervaret: non ut Reges, Imperatoréſque deponeret; non ut ſubditos Fidelitatis vinculo liberaret; non ut inſanam plebeculam in Magiſtratus armaret; non denique, uti ipſius qui dicitur *Vicarius*, ut peccatorum veniam, cœleſtíſque gloriæ *augmentum* ſceleratis hominibus promitteret, quòd in principes inſurgerent, quòd fratres interficerent, quòd concives ſuos Chriſtianos propter ſuſpectæ *Hæreſios* crimen jugularent. Minimè verò: Erat ille *Paſtor bonus qui animam poſuit pro ovibus ſuis*; cúmque illæ ab ovili fortè aberrarent, non ille Moloſſos, Lupóſque mercede conductos in eas immiſit, qui dente, unguibúſque dilaniarent Gregem; ſed eas ipſe profectus, ſumma animi moderatione, & incredibili in aberrantes miſericordia perquirebat, inventáſque humeris ipſe ſuis imponebat, & ſingulari lenitate, curáque ad ovile iterum ſuum deportabat. Legimus quidem Chriſtum Dominum *Petro* mandâſſe ut * *Oves, Agnóſque ſuos paſceret:* At non legimus ipſum, cujus *Regnum non erat ex hoc Mun-* * Joh. 21. 15, 16.

do, aut *Petro* aut *Vicario* ſuo illud unquam in mandatis dediſſe, ut milites conſcriberet, miſellâſque Oviculas indictâ causâ occideret. Scio autem eſſe quoſdam, qui ex decantato illo *Paſce Oves*, neque ad Logicorum, neque Theologorum præcepta ſatis appoſitè, conficere volunt, Pontificem *Hæreticos* occidendi poteſtatem habere. Ut Monachus ille apud *Eraſmum*, qui cum ingenti *Cauſæ Catholicæ* Zelo, & majori ignorantiâ laboraret hoc inde probare voluit, quòd Apoſtolus diceret * *Hæreticum Devita*; hoc eſt, inquit ille Græcè, Latinéque pariter doctus, *De Vitâ tolle*. Sed nos è diverticulo redeamus in viam.

* Tit. 3. 10.

Ex iis quæ jam dicta ſunt certiſſimum eſſe arbitror, Pontificem, Pontificióſque adverſus Principum noſtrorum ſalutem, Religionémque reformatam conſpirâſſe, ex quo primùm *Henricus* octavus eum ſibi *Suprematum* vendicaverat, qui antea quidem ei omni Jure debebatur; ſaltem uſque dum Sereniſſimus *Carolus* ſecundus à diuturno exilio rediret ad ſuos. Cùm verò ille ſummo divinæ providentiæ miraculo paternis, avitíſque regnis potiretur, maximo hujus populi beneficio altiſſima Pax ſecuta eſt, quæque pacem comitari ſolent omnia. Eccleſiæ

Reique

Reique publicæ Regimen, quod nuperâ Rebellione, (quæ ex *Jeſuitarum* fraude initium, viréſque ſumebat) concuſſum, proſtratúmque erat, in integrum reſtituitur: Jura, libertateſque ſubditorum novis legibus firmantur: Delictorum quorumcunque, quæ flagrante bello admiſſa ſunt, impunitas conceditur. Neque Pontificii minorem quam reliqui fructum ex communis patriæ felicitate capiebant. Non tantùm igitur fidei obſequiique, ſed gratitudinis etiam vinculo obſtricti tenebantur, pro ampliſſimis beneficiis, quæ iis optimi Principis clementia indulſerat. Credebant itaque nonnulli & ſperabant fore, ut nefarios tandem conatus, & priſtinos animos deponerent, debitámque Regi fidem aliquando præſtarent; quod illi quoque de ſe publicè voce, ſcriptiſque jactitabant. At ea ſpes inanis erat; etenim illi, nullâ neq; officii ſui, neque grati animi conſcientiâ victi, etiam poſt exoptatiſſimum Regis reditum, in Clementiſſimi Principis caput, Religionémque, quam colimus, reformatam, & Eccleſiæ, Regníque hujus pacem eâdem, quâ olim, audaciâ ac impietate conjurarunt. Quod ex iis nunc clariſſimum eſt, quæ ſceleratiſſimè moliebantur; quæque nobis nuper maximo

Dei beneficio comperta ſunt. Ut rei ſummam teneas, neque me ſeveriorem putes, ſi horum hominum incepta ſceleratiſſima dixero, duobus ego te teſtimoniis, omni fide digniſſimis convincam.

* Proclamat. dat. Octob. 30. 1678.

Sereniſſimus Rex, in * Decreto quidem ſuo quo Pontificiis edixit ne decimo propius lapide ad urbem accederent, vocat hanc *ſanguinariam, & proditoriam Papiſticorum Recuſantium conjurationem, in ſacram ſuæ Majeſtatis perſonam, & Regimen, & Proteſtantium Religionem.*

Inferioris Cameræ Senatores in ſcito quodam, quod Proceres etiam comprobarunt, † *Sciſcimus*, inquiunt, *Cameram hanc ita ſentire, fuiſſe, & etiamnum eſſe Damnabilem & Infernalem conjurationem excogitatam, & attentatam à Pontificiis Recuſantibus, de Rege trucidando, occidendóque, de Regimine hoc ſubvertendo, deque extirpanda, ſubvertendáque Proteſtantium Religione.*

† Nov. 1. 1678.

Puto te ex ante dictis intelligere, qualia fuerint Romano-Catholicorum principia, factáque, & qualia etiam nunc ſint, qualiáque ſemper ſint futura, dum Papa ſupererit hominúmque factio quæ non tantum iſta ſentire, ſed & agere audeat; & quàm periculoſa ſint ea Principia, & pernicioſa etiam Principibus univerſis

verſis, præcipuè verò Proteſtantibus, omnibúſque quos illi *Hæreticos* ſive rectè, ſive ſecus vocaverint. Principia autem, quorum hactenus memini, hæc ferè ſunt.

Pontificem eſſe *Supremum* totius orbis *Monarcham*, etiam in *Temporalibus*; ſaltem *indirectè*, & *in ordine ad ſpiritualia*; quod quidem affirmare ſolent qui moderatiſſimè loquuntur. Ea verò diſtinctiuncula nihil neque ſolatii, neque tutelæ Principibus affert. Si enim Pontifex immenſam hanc potentiam habuerit, ſive *directè* ſive *indirectè*, perinde eſt; habeat modó. Et ſi Principem depoſitum occidi contigerit, an hoc vel illo hujus diſtinctionis mucrone, parùm refert; ille certè interficitur. Ut ſi quem gladio peremeris; non eum ideò minus peremptum diceres, ſive tu illum cæſim, ſive punctim petiveris.

Aiunt etiam Pontificem poteſtatem habere Reges [a] *Excommunicandi*, *anathematizandi*, *damnandi*, *deponendi*, omníq; regali dignitate & authoritate *privandi*, ſubditóſque ab omni fidelitatis vinculo *abſolvendi*, tum eo quod naturâ, tum eo quod Jurejurando contrahitur.

[a] Vid. Concil. Conſtant. Seſſ. 37. in ſentent. contra Benedict. 13. & Seſſ. 39. in Proviſ. adver. Schiſm. futur.

Subditos adverſus Principes armari poſſe, ſi modo *depoſiti* fuerint à Pontifice; qui

qui ſecundùm *Jeſuitas* & *Canoniſtas ſuprémus* eſt omnium *Judex*, atque *Infallibilis* etiam in *rebus facti, & fidei.*

Si arma adverſus Regem depoſitum ſumpſerint ſubditi, non eſſe illud *Rebellionis* crimen; quoniam, ut ipſis placet, depoſitus Rex eſſe deſinit.

Non peccare ſi in Bello Regem occiderint; nequé eſſe illud *Homicidium*, ſed opus *meritorium*, quod vocant, cuique Pontifex *Plenariam Indulgentiam*, peccatorum omnium veniam, & ſalutis æternæ pollicetur *augmentum.*

Imò verò, ne ad tam præclara facinora paulò ſegniores fierent; ad ſumma ſcelera perpetranda ſummis, quæ in hominem Chriſtianum cadere poſſunt, præmiis invitantur. Patriæ Principumque proditores ſuorum ſuffragiis *Martyres* fiunt; quíque Perduellionis damnati juſtiſſimo ſuſpendio vitam finierunt, de patibulo rectâ, ut iſti ſomniant, in Beatorum ſedes devolant. Sic enim, ut ſupra oſtendi, qui in Conjuratione *Nitro-ſulphureâ* deprehenſi, extremo ſupplicio affecti ſunt, eorum nomina in *Jeſuitarum Martyrologiis* inſcribuntur. Quàm verò ſint hæc principia periculoſa Principibus, præſertim Proteſtantibus, cùm tantas peccandi illecebras adjunctas habeant

vel

vel tu, vel quivis certè facilè judicaverit.

Quamvis autem sit ingens illud quod hinc imminet periculum, est tamen aliud majus: Etenim ea est Romanensium sententia, ut putent, Reges Imperatoréſque *Hæreticos* non tantùm à Pontifice, verùm quod amplius est, à populo etiam deponi posse; imò populum ad illos deponendos Legum, & Conscientiæ nexu obligari. Et eorum Scriptores celeberrimi, in libris *superiorum permissu* excusis, apertè profitentur ista *Romano-Catholicis* omnibus probari. Illud certè novi, hæc nondum esse publico istius Ecclesiæ judicio damnata; ideóque probari admodum est credibile: *Qui* enim *non prohibet peccare, cum potest, jubet.*

Ne quis eâ de re dubitare possit testimonia nonnulla ex probatissimis ipsorum authoribus hîc apponam. Eorum quidam, [a] *Est igitur*, inquit, *certissima, & indubitata hæc communis doctorum omninm Catholicorum sententia, de subditorum obligatione, ad Principes Hæreticos repellendos, si fidei Catholicæ injuriosi sunt.*— [b] *Principes jam inauguratos ac consecratos, regnisque potitos deturbare possunt legitimè subditi (imò debent & tenentur facere, si vires suppetunt) &c.*— [c] *Certè non tantum*

[a] Philopat. in respons. ad Eliz. edict. Sect. 2. num. 160.

[b] Ib. num. 161.

[c] Ib. num. 162

tum licet, ut jam dixi, ſed ſummâ etiam juris divini neceſſitate, ac præcepto, imò conſcientiæ vinculo arctiſſimo, & extremo animarum ſuarum periculo ac diſcrimine Chriſtianis omnibus hoc ipſum incumbit, ſi præſtare rem poſſunt. Et *Robertus Bellarminus* Cardinalis, magnus controverſiarum Magiſter, & ſummæ apud ſuos authoritatis, eadem ferè habet; de *Hæreticis* enim principibus locutus, *Omnium*, inquit, [Romano-Catholicorum] *conſenſu poſſunt, ac debent privari ſuo Dominio.* Et alias in libro quodam quem [a] probarunt *Jeſuitæ*, & librorum [b] Cenſor magnopere laudavit, Pontificis, [c] populíque poteſtatem Principum authoritate majorem eſſe docet: Et [d] *Regem*, inquit, (*ſi Tyrannus declaretur à Papâ, vel Populo*) *quilibet etiam privatus poteſt juſte perimere:* Et [e] *Tyrannus eſt*, inquit, *qui ſacra patria peſſundat: Sacra patria*, Pontificia, opinor, dicere voluit. Omnes itaque Principes Proteſtantes iis *Tyranni* quidem erunt: Clarum igitur eſt hæc Pontificiorum principia & periculoſa, & pernicioſa ipſis eſſe, quos illi *Hæreticos Tyrannóſque* exiſtimant, & ſi *populus* idem declaraverit, poterunt à *quolibet* etiam *privato* jugulari.

[a] Marcian. de Rep. & Reg. inſtitut. Mogunt. 1605.
[b] Vid. Cenſur. authorit. Reg. fut. Marian. lib. præfix.
[c] Cap. 6. p. 68.
[d] Ibid. p. 59. 60.
[e] Ibid.

Non ignoro eſſe quoſdam Pontificios qui

qui vehementer negant, Ecclesiam Romanam ea, de quibus disputamus, dogmata probare; atque illud Concilii [a] *Constantiensis* decretum citant, in quo, *Sancta Synodus — declarat, decernit & definit hujusmodi Doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, &c. — reprobat & condemnat.*

[a] Concil. Constant. Sess. 15.

Hîc ego primùm Propositionem ipsam, deinde quid responderi debeat, adscribam. Propositio à Concilio damnata, hæc est, *Quilibet Tyrannus potest ac debet licitè ac meritoriè occidi, per quemlibet Vassallum & subditum, etiam per insidias, vel blanditias, vel adulationes non obstante quocunque Juramento seu confœderatione factis cum eo, non expectatâ sententiâ vel mandato Judicis cujuscunque.* Hunc quidem Articulum damnant Patres *Constantienses* in Concilio *Generali:* Illud enim tentur fuisse [b] *Concilium Generale approbatum, & à Gregorio Duodecimo verò Pontifice, confirmatum*; quanquam non st cur sic sentiant; ut patet ex iis quæ abet [c] *Salomon Gesnerus*; quibus [c] *Longus à Coriolano* conatus est certè, at minimè satisfecit. Illa verò quæ ab iis amnatur propositio, tantâ sive arte, ve fraude *Romano-Catholicâ* perscribi-

[b] Longus à Coriol. in sum. Concil. p. 858.

[c] Gesner. in Præfat. ad Epitom. Concil. ex addit. ad Chron. Urspер.

[d] Longus à Coriol. p. 866.

tur;

tur; ut, quamvis Concilii ſententia eo ſpectare videatur, nihil tamen omninò ad Regum, Principúmque ſecuritatem conducat.

Neque enim eam Pontificis poteſtatem damnant, quâ ille Reges excommunicat deponítque, ſubditóſque à Juramento fidelitatis abſolvit, eorúmque Regna aliis donat. Illi tantùm de *Tyrannis* non occidendis agunt; de Regibus legitimis quid fiat parùm ſoliciti.

Neque *quemlibet Tyrannum poſſe*, ſed *poſſe, & debere occidi* negant. Eſt autem ea Propoſitio quæ Logicis *Conjunctiva* dicitur; & falſa erit, ſi alterutrum ejus membrum falſum eſſe contigerit. Ut ſi quis dixerit, *Omnis homo eſt Rationalis, & doctus:* Ille falſum diceret: licet enim *Omnis homo ſit Rationalis*, non eſt tamen *Doctus*. Ideóque quamvis Romæ non negaverint, *Quemlibet Tyrannum occidi Poſſe*; at *Debere* etiam non ita facilè conceſſerint. Ut enim *Tyrannus* fuerit, qui nullo jure ſibi regnum ſumpſerat; ſit tamen *Romano-Catholicus*, & rei, Religioníſque Pontificiæ præfervidus defenſor, aut qui ipſis legitimo Rege magis faveat; non eum *Occidi debere* contenderint. Atque eâ, opinor, de causâ factum eſt ut Pontifex, ipſiúſq; affeclæ,

aſſeclæ, qui *Carolum* primum optimo jure regnantem interfici voluerunt, *Cromwellum Tyrannum occidi debere* non putaverint: Neque illud unquam, quod ſciam, attentarunt. Ille enim iis propitius erat, ſeque legum metu magis, quàm antea, ſolutos ſentiebant; aut quàm ſperare poterant, ſi Rex ab exilio ad Reip. clavum accederet. *Cromwello* rerum potiunte nullum neque *Fidelitatis*, neque *Supremati* Juramentum, nulla *Liturgia*, neque *Preces* quæ dicuntur, *Communes* erant; ſed lege tum latâ ſancitum eſt, *Ne quis notaretur, quod ſacris publicis non intereſſet:* Adeóque nulla tum ratio ſupererat, qua Pontificii aut detegi, aut declarari potuerunt. Quamobrem cautè admodum Patres *Conſtantienſes* Propoſitionem hanc, ut *erroneam damnarunt*; *Quilibet Tyrannus poteſt ac Debet, &c.* cum interea *poſſe occidi* non negarent.

Cum dictum ſit, *Quemlibet Tyrannum — licitè, & meritoriè occidi:* eodem modo ab illis damnatur; *Cum Tyrannum occidere Licitum* eſſe poſſit, quamvis *Meritorium* non fuerit.

Cum aiunt *Tyrannum* non poſſe *Licite occidi per quemlibet Vaſſallum, & ſubditum:* Nihil hoc ſolatii, aut tutelæ Principibus affert. Si enim occiſus fuerit Rex,

Rex, nihil refert, an ab extraneo, an à domeſtico parricidâ. Quicquid igitur decreverit Concilium *Conſtantienſe*, illi peregrinos ſicarios ad Principes Proteſtantes tollendos conduxerint; ſic *Lopezium* ad *Elizabethæ* inſidiandum, & *Hiſpanum* quendam ad *Mauritium Naſſavium* jugulandum miſerunt. Aut, quod tentavit aliquando, & niſi Deum Adjutorem habuiſſemus effeciſſet, Pontifex Regnandi jus ad neſcio quem transferre poterit, & Claſſem in nos *Hiſpanicam* aut exterarum gentium exercitum, immittere, qui regnum occupet, Regémque unâ & populum promiſcuâ cæde conficiat.

Cùm negat Concilium, *Tyrannum poſſe occidi per quemlibet Vaſſallum, & ſubditum:* cum ea verba, *per Vaſſallum & ſubditum*, in ſingulari numero ponantur; nihil obſtat, ſi quis argutari velit, quo minus plures, aut major ſubditorum pars *Tyrannum* interficere poſſit. Eſt enim certè illud Dogma impium, ac planè *hæreticum*; at *Romano-Catholicum* tamen; quodque à multis ipſorum Authoribus defenditur.

Denique tantùm abeſt ut ea hujus Concilii ſententia illud, quod volunt, probet; Romanæ ſcilicet Eccleſiæ non videri

videri Reges deponi, atque occidi debere; ut contrarium hinc elici poſſe videatur. Cum enim illi *Tyrannorum* cædem damnant, quæ fiat *non expectatâ ſententia, aut mandato Judicis*; clariſſimum eſt ipſos opinari eſſe *Judicem* cujus *ſententiam*, aut *mandatum expectare* oporteat. Ridiculum enim planè eſſet de *expectanda Judicis ſententia* mentionem facere, ſi nullus eſſet *Judex*, cujus *ſententia* expectari deberet. Nos quidem rectè credimus Reges, ſummóſque Principes neque Judicem habere quenquam, neque habere poſſe; cum neceſſe ſit Judicem eſſe Judicando ſuperiorem; & perquam abſurdum profectò videretur Principes Supremos dici, ſi quem ipſis ſuperiorem habuerint. At *Romano-Catholici* Pontificem, atque etiam Populum Regibus ſuperiorem eſſe, inque eos ſententiam ferre, & *Tyrannidis* damnare poſſe contendunt. Atque ut ſubditi non poſſint Reges, quos illi *Tyrannos* vocant, abſque *Judicis ſententiâ, aut mandato* occidere, verùm eam *Expectare* teneantur; at ſi *Expectaverint*, & acceperint etiam, tum nihil hîc obſtabit quo minus eos *Licitè ac Meritoriè* interficiant: *Exceptio enim firmat regulam in non exceptis.* Si quis igitur aut populi, aut

* Marian.p. 59,60.

Pontificis (quos *illi Regibus Judices dederunt) *ſententiam*, aut *mandatum* habuerit, quo Regum aliquis *Tyrannus declaretur*; ea eſt horum hominum doctrina civilis, ut hoc privato cuicunque ſatis eſſe putent ad Regem illum Jure jugulandum. Unde manifeſtò ſequitur *Carolum* primum Regum pientiſſimum à *quolibet occidi* potuiſſe, non inſtitutâ ad hoc *Supremâ*, quæ dicebatur, *Juſtitiæ curiâ*, poſtquam ille *Tyrannus* à Senatu declaratus eſſet. Cúmque ipſis placeat Reges propter *Tyrannidem* aut *Hæreſin* deponi, & interfici poſſe; cumque omnis Rex *Hæreticus* ab iis *Tyrannus* exiſtimetur; ſequetur inde Principem Proteſtantem, quem illi *Hæreticum* putant, ſecundum hoc *Conſtantienſis* Concilii decretum, Jure occidi poſſe; ſi Pontifex ipſum occidi mandaverit. Aut ſi non mandaverit, ſed in eum tantùm ſententiam dixerit, & *Bullâ* ſuâ *Hæreticum*, aut *Hæreticorum Fautorem Excommunicatum, & depoſitum* declaraverit, quivis eâ quaſi Authoritate munitus ipſum occidere poterit. Poſtquam igitur *Pius* quintus *Elizabetham* excommunicaverat, hiſce Pontificiorum placitis innocens planè fuiſſet, ſi quis ſubditorum optimam Reginam ſuâ manu peremiſſet. Jam verò uni-

univerſi generis humani judicium eſto, an hæc principia Regibus, certè Proteſtantibus, periculoſa admodum, & pernicioſa, cum eâ, quam Principibus debemus, obedientiâ ſtare poſſint. Novi profectò Reges, Senatoréſque experientiâ edoctos, eáque, quæ hinc conſequi certum eſt, mala proſpicientes, publicis edictis ſæpenumerò oſtendiſſe, quid de iis ſenſerint, & quantopere ab hiſce dogmatibus animis abhorruerint. Ego unum vel alterum hujus rei teſtimonium adjiciam.

Clementiſſimus Rex cum in * edicto quodam de inteſtinis hujus Regni motibus loqueretur; eos ait, *Præcipuè naſci ex ſubdolis Pontificiorum Recuſantium conatibus, quorum numerus nuper, atque audacia creverat, quorumque inquieta ſemper, & turbida conſilia Eccleſiæ, Reique publicæ ruinam minitantur.* * Edict. dat. Jan. 16. 1678.

Senatus frequens, cætera quidem Pontificius, Papalem arrogantiam, in Regnis, & hæreditatibus alienandis, notavit; & in hanc ferè ſententiam damnavit. ——— † *Papa contra inviolabiles conceſſiones Juriſdictionum à Deo immediate Imperatoribus, & Regibus factas, præſumpſit inveſtire, quos ipſi viſum eſt, ad inhæreditandum in alienis Regnis & Dominiis: quod nos* † Stat. 25 H. 8. cap. 22.

ſubditi veſtri Fideles Spirituales, & Temporales deteſtamur, & abhorremus. Ea ſcilicet ad ſe olim pertraxerant Pontifices; ſed quæ, ut ipſi confitentur, Clerici tum pariter, Laicíque execrati ſunt. Atque nunc etiam Papa, quíque ipſi ſtudent, tantùm ſibi ſumunt, ut Sereniſſimum Britanniarum Regem interficere, ejúſque Regna alienare decreverint; quod ex teterrimâ Conjuratione, non ita pridem patefactâ, clariſſimè conſtat. Quæ ſanè molimina, principiáque quæ homines ad iſta incitant, periculoſa ego, &, ſi perfecta fuerint, quod ſpero nunquam fore, pernicioſa quoque meritò appellaverim.

Sunt quidem ex Pontificiâ factione complures, qui hujus Conjurationis atrocitate perſpectâ, ex animo, uti ſperamus, ſaltem videri volunt factum ipſum, tantíque ſceleris authores damnare; & hoc quicquid eſt flagitii in perpauculos tenebriones rejicere conantur. Negant verò præfidenter, nè quid gravius dicam, Eccleſiam Romanam ea vel probare, vel recipere principia, quæ hujuſmodi Conjurationes promovere, aut Regum ſalutem, & poteſtatem labefactare poſſint. Alia igitur, præter ea quæ hactenus memoravi, eorum Dogmata hîc apponam, quæ

quæ Principum Juri derogare, Reíque publicæ ſtatum perturbare ſolent.

Eccleſia itaque Romana apertiſſimè decernit non licere Principibus ſecularibus quodcunque Fidelitatis Juramentum à Clericis exigere; Clericóſque tali ſe juramento obſtringere vetat. — [a] *Nimis de Jure Divino quidam Laici uſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos nihil temporale continentes, ad præſtandum ſibi Fidelitatis Juramentum compellunt.* — *Sacri Authoritate Concilii prohibemus ne tales Clerici perſonis ſecularibus præſtare cogantur hujuſmodi Juramentum, &c.* Sic ſtatuit magnum illud Oecumenicumque Concilium ſub *Innocentio* tertio; atque ea *Gregorius* nonus in Jus [b] *Canonicum* inſeri curavit; & ſuperſunt adhuc in [c] emendatiſſimis, probatiſſimíſque Juris illius editionibus. Si quid igitur valeant *Canones* iſti, legéſque ab ipſis receptæ, Princeps ſecularis Fidelitatis Juramentum à Clericis exigere non poteſt; Clericíque tali ſe Juramento obſtringere non debent: Et ſi fortè obſtrinxerint; eodem Jure variis de cauſis Juramentum illud nullum eſſe, ipſóſque minimè obligare dicitur. [d] *Juramentum* enim, inquiunt, *contra utilitatem Eccleſiaſticam præſtitum non tenet.* Habentur hæc in

[a] Concil. Lateran. magn. ſub Innoc. 3. Can. 43. vid. Baro. Annal. tom. 10 ad an. 858. Sec 49. p. 155.

[b] Cap. *Nimis.* 30. Extra. de Jurejurand.

[c] Corp. Jur. Can. Pariſ. 1612, 1618. & Lugd. 1661.

[d] Lem. ad Cap. *Sicut.* 27. Extra de Jurejurand.

Legis cujuſdam titulo; & in ipsâ Lege; [a] *Non Juramenta, ſed perjuria potius ſunt dicenda, quæ contra utilitatem Eccleſiaſticam attentantur.* Et alio loco, [b] *Princeps timens Conſpirationes aliquas fieri contra eum, Juramentum extorſit, quòd contra ipſum non eſſetis de cætero.* Qui hoc Juramentum præſtiterant quærunt poſtea an eo tenerentur? Iis verò ſic reſpondet *Honorius* tertius: *Interpretatione congruâ declaramus vos Juramento hujuſmodi non teneri, quin pro Juribus, & honoribus ipſius Eccleſiæ, ac etiam ſpecialibus veſtris legitimè defendendis, contra ipſum Principem ſtare, libere valeatis.* Jam autem cum minimè dubium ſit Pontificem eſſe ipſis *ſolum, Supremúmque* in cauſis Eccleſiaſticis Judicem; ſi ipſe *Fidelitatis, Supremátúſque*, quæ apud nos habentur, Juramenta, Eccleſiæ *Juribus & Honoribus* quicquam derogare judicaverit, quod certè faciet; tum Pontificii ſe neque his, neque aliis hujuſmodi Juramentis teneri putabunt; neque hæc omnia obſtare quò minus Principibus obſiſtere, inque ipſos conjurare poſſint, ſi impiis hiſce conatibus Eccleſiam, *Cauſámque* quam vocant, *Catholicam* juvari poſſe ſperaverint. Eſt apud ipſos quædam Juris Regula, rationi ſanè admodum conſentanea;

[a] Dict. Cap. *Sicut.* 27.

[b] Cap. *Petitio* 31. Extra. de Jurejur.

ſentanea; [a] *In omni Juramento debere intelligi Jus ſuperioris exceptum*; quod ipſi integrum ſervari oportet. Sic ſi *Feudatarius* Domino ſuo fidelitatem juraverit, quantuſcunque fuerit iſte Dominus, ſi quem tamen ſuperiorem habuerit, ei juratum eſt *Salvo Jure Domini Principalis*: Supremi enim Principis Jura nullo juramento imminui debent. Hæc ita generatim veriſſimè quidem dicuntur. Pontifex autem, aſſentientibus ſuis, ſe Regibus univerſis longè ſuperiorem putat; ſi igitur ille *Fidelitatis*, & *Suprematus* Juramenta Juribus ſuis contraria eſſe declaraverit, quod ipſum feciſſe novimus, tum omnem ab iis obligandi vim tolli exiſtimant. Aut ut ea ipſos obligare fateantur, credunt tamen Pontificem illum etiam nodum diſſecare, & [a] *ſecundum plenitudinem poteſtatis, de jure poſſe ſupra jus diſpenſare.* De hoc quidem inter [b] *Canoniſtas* convenit, dicunt enim Pontificem omnes, *Ab omnibus juramentis & cujuſcunque modi obligationibus, quibus illi ſe coacti violentia impiorum obligaverant abſolvere*; à voluntariis non ita facilè; [c] *ſi tamen abſolvat aliquem, tenet abſolutio.* Neque hoc cuiquam mirum videri debet, ſi verum fuerit, quod *Gloſſarum* author *Johannes Semeca* nobis

[a] Extra. de Jurejurand. cap. *Venientis*, 19.

[a] Cap. *Propoſuit.* 4. Extra. de Conceſſ. præbend. vid. Spotſwood Hiſt. Scot. p. 308.

[b] Vid. Gratian. Can. 2, 3, 4, 5. Cauſ. 15. Quæſt. 6. Gloſſ. Turrecrem.

[c] Gloſſ. ad dict. Can. 2. verb. *Abſolvimus.*

narrat, Etenim, [a] *dico*, inquit, *quod contra Jus naturale poteſt diſpenſare, & contra Apoſtolum.* Quod ut faciliùs notaretur hæc verba, *Papa contra Apoſtolum diſpenſat*, ad marginem adjecta ſunt, in [b] antiquioribus Juris illius editionibus: Et in [c] nuperis, iiſque *Gregorii* decimi tertii authoritate firmatis, emendatis, & purgatis, impiam illam, ridiculámque *Gloſſam* non rejiciunt, ſed notulâ quadam adſcriptâ ita pleniùs explicant, & defendunt: [d] *Non eſt abſurdum Papam diſpenſare contra Apoſtolum, quoad Jus poſitivum.* Ut igitur Pontificii ſe, quot Principi viſum fuerit, juramentis obſtrinxerint; poterit tamen Papa, cum ipſi placuerit, de omnibus *diſpenſare*, eoſque omni penitùs fidelitatis vinculo liberare. Atque hînc clariſſimè ſequitur, non poſſe *Romano-Catholicum*, qui eum hanc poteſtatem habere crediderit, Principi de ſuâ in ipſum fide ſatiſdare, millies licèt ſe ei fidiſſimum fore dejeraverit; cùm Pontifex, ut ipſi opinantur, quoties ei libitum erit, omnem hunc Juramentorum apparatum nullo negotio diffiare poſſit. Si verò hæc ad Juramentorum vim labefactandam non ſufficerint, *Jeſuitæ*, qui Pontifici *Janizariorum* quorundam loco ſunt, novas nobis excogita-

[a] Gloſſ. ibid.

[b] Edit. Pariſ. 1522.

[c] Edit. Pariſ. 1612.

[d] Not. ad Gloſſ. ad dict. Can. 2. verb. *Abſolvimus.*

gitârunt argutias, quibus *æquivocando, intentionem dirigendo, opinioneſque probabiles* ſequendo, omnem Jurisjurandi Religionem, abſque *Diſpenſationis* compendio, eludunt. Sunt ea profectò inimica planè hominum Societati commenta, atque ita nunc omnibus nota, ut mihi non ſit neceſſe oſtendere, quanta inde mala in humanum genus deriventur. Compertum præterea habeo ex Pontificiorum principiis, non eſſe * permiſſum *Papiſtis* in *Angliâ* degentibus *Fidelitatis* Juramentum Regi præſtare; quales igitur futuri ſint ſubditi facilè divinaveris. Quod enim facere licet, illud etiam, ſi opus fuerit, jurare licet te facturum. Si Principi parere licuerit, certè me ad ei parendum Jurejurando obſtringere licebit. Omnes naturæ ipſius lege vera eloqui tenentur; licet itaque mihi in Judicio teſtimonium dicturo, imò omnium gentium conſenſu oportet, me Juramento obligare; ut & ipſe ad veritatem enuntiandam fortiùs ſtringar, aliíque iis quæ à me dicenda ſunt, firmiùs credant; neque enim uſquam pro idoneo teſte haberetur, qui à Judice rogatus jurare recuſaret. Meritò igitur Principibus ſuſpecti ſunt homines iſti; qui enim iis Fidelitatis Juramentum præſtare abnuunt, non eſt credibile

* Parſon. diſcuſſ. reſponſ. Barlo. Caron. Remonſtrat. Hibern.

credibile ipsos injuratos fideles fore.

At est profectò aliquid ampliùs cur de Cleri Pontificii fide dubitare debeant; quoniam illi eam Principi suo Fidelitatem jurare non possunt, quam antea Pontifici jurati promiserant. Episcopus enim consecrandus Jurejurando hisce verbis astringi solet. * *Ego* N. *ab hâc horâ in anteà, fidelis & obediens ero—— Domino N. Papæ & suis Successoribus. Consilium quod mihi crediturî sunt, ad eorum damnum nemini pandam. Papatum, & Regalia Sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Jura, honores, privilegia, & Authoritatem Papæ —— conservare, defendere, & promovere curabo. Non ero in Consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra Papam—— aliqua sinistra vel præjudicialia personarum, juris, & potestatis ejus machinentur; & si talia à quibuscunque tractari novero, impediam pro posse, & quanto citiùs potero significabo Domino Papæ—— Mandata Apostolica totis viribus observabo, & facta ab aliis observari. Hæreticos & rebelles Domino Papæ persequar, & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, &c.* Hæc & plura id genus alia in eâ Jurisjurandi formulâ reperias. Perspicuum est autem hoc esse quoddam Fidelitatis Juramentum

* Vid. Pontif. Rom. de Conf. elect. in Episc. p. 57. Edit. Rom. 1611.

† Olim *Regulis Sanctorum Patrum.* vid. cap. *Ego* N. 4. Extr. de Jurejur.

ramentum quo illi fidem ſuam Pontifici obligant. Jurant ergo, ut alia omittam, ſe Pontificis *Conſilium*, qualecunque fuerit, *Nemini*, ne Regi quidem, aperturos; *Papatum Petrique Regalia contra omnem hominem*, etiam Regem, *defenſuros*; *contra Papam præjudicialia à quibuſcunque*, vel Regibus, *tractari ſi noverint impeditu-ros*. Vides hîc omnimodam Pontifici Fidelitatem, ſine exceptione, jurari; cum illud olim in Epiſcopi conſecrandi Juramento adderetur; * *Salvâ fide Domino Regi*; uti nos docuit celebris Juris noſtri Conſultus; quem circa Annum Domini Milleſimum ducenteſimum quadrageſimum ſextum floruiſſe accepimus. Et certum eſt uno vel altero ante ipſum ſeculo Epiſcopos nullo Jurejurando Pontifici obſtrictos fuiſſe, ſed tantùm *Canonicam* ei obedientiam promiſiſſe. Etenim in † antiquo *Ordine Romano* (quem fatentur omnes ab * *Arnoldo Conſtantienſi* Presbytero conſcriptum fuiſſe, circa Annum Milleſimum ſexageſimum,) Metropolitanus conſecrandum ſic interrogat: *Viſne Beato Petro, ſuæque Eccleſiæ, ejuſque Vicario & Succeſſoribus, Fidem & Subjectionem per omnia exhibere?* Reſpondet; *Volo.* Tum Fidem & Subjectionem ipſi etiam Metropolitano promittit; ſed cum

* Henr. Bract. de Leg. Angl. l. 2. c. 35. Sect. 8

† Vid. Ordin. Rom. veter. apud Georg. Ferrar. de Cathol. Eccleſ. Divin. Offic. Romæ, 1591. p. 70, 71.

* Trithem. de Scriptor. Poſſ. Vin. Apparat. in Arnold. Conſtant. Voſ. de Symbol. Cœn. Rom. Theſi. 2. p. 441.

cum hoc diſcrimine, quòd Pontifici, ut Patriarcharum primò, *Fidem & Obedientiam per Omnia*; Metropolitano verò tantum *Fidem & ſubjectionem exhibere promittat*; ſed tum huic, tum illi promittit modò, non jurat. Verùm tranſiliamus iſta: Quocunque primùm tempore Juramentum iſtud ab Epiſcopis exigi cœptum eſt, conſtat certè in uſu fuiſſe * *Gregorii* noni ſeculo, qui *Decretales Epiſtolas* conſarcinatas † edidit; in iis enim *ponitur Forma Juramenti ſecundum quam jurant Papæ Epiſcopi*, & brevior multò, & ſatis, at minùs tamen impia quàm quæ hodiè uſurpatur. Tum etiam uti nunc, Papæ Fidelitatem jurabant * *contra omnes homines*; neque Regibus neque Imperatoribus exceptis; & † *Hodiè non tantum Epiſcopi, ſed omnes recipientes dignitatem à Papa, ſibi jurant*. Numquid verò fieri poteſt, ut homines ad Pontifici obediendum Jurejurando obſtricti, Principibus ſuis fideliter obtemperent? Annon ſunt ea regibus periculoſa, & pernicioſa; quæque cum ſubditorum fide, Principúmque ſalute & Supremâ poteſtate ſtare non poſſunt?

* Gregor. fuit Papa, A. D. 1226.
† An. Dom. 1230. Refert Juram. ad Greg. 7. qui factus eſt Papa, 1073.
* Vid. Cap. *Ego* N. 4. Extr. de Jurejur.
† Lem. dict. Cap. 4. Edit. Lugd. 1661.

At novum iis ex iiſdem Principiis exoritur periculum; Eccleſiaſticos enim

omne

omnes à tributis & vectigalibus Secularibus Principibus ſolvendis omnino eximunt; niſi priùs Pontificem exoraverint, ut illud per ipſum fieri liceat. Hoc eorum [a] *Caſuiſtæ* [b] Jus *Canonicum*, & *Canoniſtæ* conſtanter docent. [c] *Laici*, inquiunt, *collectas imponentes Clericis*, —— *ſunt excommunicati cum ſuis fautoribus.* Atque iterum paulo pleniùs & explicatiùs; [d] *Clerici non debent neceſſitatibus ſeu utilitatibus civitatum ſeu aliorum locorum, etiam ubi Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubvenire, niſi prius Romanus Pontifex conſulatur. Hoc primò. ſententiæ & conſtitutiones editæ à Laicis collectantibus Eccleſiam, ſunt ipſo jure irritæ, nec ullo tempore convaleſcunt. Hoc ſecundo. Rectores excommunicati ob gravamina præmiſſa, remanent excommunicati etiam poſt depoſitum officium, nihilominus excommunicati ſunt Succeſſores, niſi ſatisfecerint intra menſem. Hoc tertio. Hoc dicit ad majorem declarationem, & pro novitiis.* Hoc eſt quod illi huic Canoni præmittere ſolent, in • emendatiſſimo, uti aiunt, Juris *Canonici* Corpore; dicunt etiam hunc eſſe *Canonem* Concilii [f] *Generalis*, quod ipſi igitur *Infallibile* putant, cuique omnes ubique gentium Chriſtiani parere teneantur. Si hæc itaque Pontificiorum

[a] Vid. Filliuc. Quæſt. Moral. Tract. 16. c. 11. p. 325.
[b] Vid. cap. *non minus.* 4. & cap. *Adverſus* 7. Extra. de Immun. Eccl. 9
[c] Panormit. ad dict. c. 4. & 7.
[d] Lem. dict. cap. 4.
[e] Lem. cap. *Adverſus.* 7. Extra. De Immunit. Eccleſ.
[f] Corp. Jur. Can. Lugd. 1661.
[g] Dict. cap. *Adverſus.* 7. in Lem. Idem Innocentius 3. in Concil. General.

Lex

Lex aliquid ponderis habuerit; si fortè Anglorum Rex, Senatúsque omnis aut Laici quicunque in durissimis Rep. temporibus Clericos Lege latâ aliquantulum argenti in ærarium referre jusserint; nisi priùs hanc iis licentiam Pontifex concesserit, ea lex nulla diceretur; quique eam tulerunt, ipsorúmque *Successores* pro *Excommunicatis* haberentur, *nisi satisfecerint intra mensem*; * *cujuscunque illi conditionis, status, aut dignitatis* fuerint. Atque ut sciamus non esse hunc subitum furoris impetum, quo temere correptus est *Urbanus* quintus, aut Pontificum aliquis paulò iracundior, eadem ferè *Romæ* quotannis publicè repeti solent; eo ipso die, quo hominum Servator *Cœnam Domini* instituit, ut eo veluti Sacramento Christianos omnes vivâ fide sibi adjungeret, summáque inter se charitate, & benevolentiâ devinciret: Eo, inquam, die Pontifices maximam orbis Christiani partem omnibus diris devovent, non aliam ob causam, quàm quòd illi Evangelii veritatem defendere, immanémque ipsius fastum, & arrogantiam contundere studeant. In eâ verò *Bullâ*, inter alia, habentur hæc: *Excommunicamus omnes* † *qui collectas, tallias, præstantias, & alia onera personis Ecclesiasticis, & eorum, Ecclesiarum,*

* Ita Urban. 5. Constit. 1. edit. 1364. In Bullar. Rom. Tom. 1. p. 282.

† Verba Bull. Cœn. vid. Bull. Alexan. 7. seu Constit. ejus 16. in Bullar. Rom. Tom. 5. Dat. Id. Apr. 1656. & Bull. Clement. 10. dat. Rom. 7. Cal. Apr. 1671. Bullar. Tom. 5. Constit. Clem. 34. Sect. 18.

cleſiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorúmque reditibus——abſque Romani Pontificis expreſsâ licentiâ imponunt; aut ſic impoſita, etiam à volentibus, recipiunt. Nec non qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare non verentur, cujuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, &c. etiamſi Imperiali, Regali, &c. præfulgeant dignitate, &c. Cum ex iis quæ nunc adduximus ſatìs appareat Eccleſiam Romanam iſta ſentire; quò tamen hoc ipſum dilucidius eſſet, Concilium * *Lateranenſe magnum*, in quo innumera prope Patrum qualiumcunque multitudo convenerat, hæc eadem ſuâ authoritate roboravit: Quæ etiam in Concilio † *Tridentino* confirmata ſunt: Etenim *Sancta Synodus——Decernit itaq; & præcipit, ſacros Canones, & Concilia Generalia omnia, necnon alias Apoſtolicas Sanctiones in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præſenti etiam decreto innovat, exactè ab omnibus obſervari debere; præterea admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes & omnes, & ſingulos, cujuſcunque ſtatus & dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius quæ Eccleſiaſtici juris, tan-*

* Concil. Lat. ſub Innocent. 3. 1215. Can. 46.

† Seſſ. 25. c. 20. de Immunit. Eccleſ.

tanquam Dei præcipua, ejúſque patrocinio tecta venerentur; nec ab ullis Baronibus, &c. lædi patiantur. Neque his contenti, à Clericis, aliíſque uti videbimus, exigunt, ut * *Omnia à ſacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, & præcipuè à Sancta Synodo Tridentinâ definita, indubitanter recipere ac profiteri ſpondeant, voveant, jurent.* Atque ex his omnibus manifeſtum eſſe arbitror Eccleſiam Romanam apertè † ſtatuere, Clericos neque à Rege, neque à Senatu, neque à Laicis quibuſcunque cenſeri poſſe, niſi Papa permiſerit, ne in maximâ quidem cæterorum egeſtate, ſummíſque ærarii publici anguſtiis. Et facile profectò judicium eſt, quantum hæc Dogmata periculum, & quàm certam ruinam Principibus afferant.

* In formâ profeſſ. fid. in calce Seſſ. 25. Concil. Trid.

† Index Expurgat. Alex. 7. Edit. Rom. 1667. p. 8. *Expurgandæ ſunt omnes propoſitiones contra Libertatem, Immunitatem, & Juriſdictionem Eccleſiaſticam.*

Neque ſolum à Juramentis *Fidelitatis, Supremátúſque* præſtandis, tributíſque omnibus pendendis liberari dicuntur Clerici; ſed ipſi quoque in maximis ſceleribus, & flagitiis deprehenſi, à Magiſtratu, eo quo digni ſunt, ſupplicio affici non poſſunt. Hoc adeò vulgo notum eſt, ut probari non eſſet opus, niſi complures quâ fronte hæc aliquando affirmare, eâdem, quoties ipſorum intereſſe credunt, pernegare auderent. Quod quoniam nonnulli facere non verentur,

iis

iis ego teſtimoniis rem omnem probare conabor, ut & tibi faciam ſatis, alioſque convincam; niſi obſtinato planè animo fuerint. Nihil enim hîc apponam quod non in probatiſſimis, doctiſſimiſque ipſorum ſcriptoribus, aut Jure, quod recipiunt *Canonico*, aut Pontificum, Conciliorúmque Generalium Decretis reperias.

Quidam magni nominis [a] *Caſuiſta, Excommunicantur*, inquit, *quicunque Magiſtratus, qui contra perſonas Eccleſiaſticas ſe interponunt, in quacunque cauſa criminali, ſive Homicidii ſive læſæ majeſtatis.* Atque hoc ille ex Jure ipſorum [b] *Canonico*, *Innocentii* ſecundi Decreto, & [c] Generalis, ut ipſi putant, Concilii authoritate confirmat.

[a] Filliu. Quæſt. moral. tract. 16. c. 11. Sect. 307, 309.

[b] Can. *Si quis ſuadente* 29. Cauſ. 17. Quæſt. 4.

[c] Concil. Lat. 2. ſub Innoc. 2. Can. 15.

Eſt & Canon quidam Concilii *Pariſienſis*, quem in Jus *Canonicum* retulit *Gregorius* nonus, in eo autem ſic ſtatuitur. [d] *Nullus Judicum neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut minores Eccleſiæ ſine permiſſu Pontificis, per ſe diſtringere, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia Dei, cui injuriam irrogare dignoſcitur, tamdiu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum cognoſcens emendet.* Vides igitur hanc eſſe Eccleſiæ Romanæ doctrinam, quam Concilia

[d] Cap. *Nullus Judicum* 2. Extra. de foro Competenti.

duo, *Pariſienſe*, & *Lateranenſe*; Pontificéſque tres *Innocentius* ſecundus, & *Gregorius* nonus, & decimus tertius, comprobarunt. Hoc enim apud ipſos legis vigorem habet; [a] *Nemini permiſſum eſſe de eo quod Papa ſtatuit judicare, vel ſententiam ejus retractare.* Et [c] *Omnes*, inquiunt, *ſanctiones Apoſtolicæ ſedis irrefragabiliter ſunt obſervandæ:* & [d] *ſic omnes Apoſtolicæ ſedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tanquam ipſius Divini Petri voce firmatæ.*

[a] Bull. dat. Rom. 1. Jul. 1580.

[b] Gratian. Can. *Nemini* 3. Cauſ. 17. Quæſt. 4.

[c] Lem. Can. *Sic Omnes.*

[d] Can. *Sic Omnes* 2. Diſt. 19.

Imò vero, Seculares Magiſtratus univerſi *Romæ* ſolenni Anathemate feriuntur, [e] *Qui perſonas Eccleſiaſticas ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Parliamentum, Conſilium, &c. trahant, aut trahi faciant directè vel indirectè carcerando, vel moleſtando, &c.* Nam ſex, opinor, aut ſeptem omnino ſunt anni cum *Clemens* decimus ſeculares Magiſtratus, curiáſque omnes devoveret, qui Clericos quoquo modo inquietare, punire, aut de eorum criminibus cognoſcere auderent. Hoc igitur Decreto Sereniſſimus Rex, Senatúſque, quique *Weſtmonaſterii* Judices conſtituti ſunt, illo Anathemate impetuntur; quod ſemper ſolenni ritu renovabitur, donec ipſi Pontificis mancipia fiant; qui dies, meritò execrandus, nunquam nobis, uti ſpero, illuceſcet. Neque enim

[e] Vid. Bull. Clement. 10. Dat. Rom. 3. Apr. 1671. in Bull. Rom. Lugd. 1673. Tom. 5. p. 530. Sect. 14, 15, 16.

enim quicquam huic populo Anglicano luctuoſius, aut Dirum magis accidere poſſe arbitror, quam ea admittere ut Papalibus hiſce Diris exolvantur.

Eodem ferè redeunt quæ de Clericis à Magiſtratu non judicandis docuerunt Patres *Tridentini: *Cauſæ*, inquiunt, *criminales graviores contra Epiſcopos, etiam Hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt; ab ipſo tantum ſummo Romano Pontifice cognoſcantur & terminentur.——Minores verò criminales cauſæ Epiſcoporum in Concilio tantum provinciali cognoſcantur & terminentur, vel à deputandis per Concilium provinciale.* Supremi etiam Judices, ſi Laici fuerint, manum iis injicere non debent. Quo illi ſecuriùs peccent, non eſt quod à poteſtate civili ita multùm ſibi metuant Clarum eſt hæc & periculoſa, & pernicioſa eſſe ſummis Magiſtratibus: Certè enim Clerici Pontifici potius pareant, oportet, cui ſe ſubjici fatentur; quàm Principibus, quos illi nullam ipſos puniendi poteſtatem habere autumant.

* Concil. Trid. Seſſ. 24. de Reform. & Seſſ. 13. de Reform. c. 8.

Sed eſt aliud præterea Pontificiorum Dogma, cujus ego nondum memini, quod omne quidem in Clericos imperium Regibus omnino adimit. Illud enim *Romæ* quod impium plane, ac ſeditioſum eſt,

conſtanter tamen docent, *Clericos non eſſe Regum ſubditos.* Quod ſi fuerit, ut eſt profectò, falſiſſimum; tum ipſorum *Canones* quoque falſi ſunt. Conciliáque quæ dicuntur Generalia, Pontificeſque ut mox oſtendam, manifeſtò errâſſe conſtabit; Dogma enim illud horum omnium authoritate firmatum eſt. Quod ſi contrà hoc verum eſſe contenderint, uti faciunt, tum illud certè probant, quod Reges omnes de ſedibus ſuis deturbat, ipſiſque, ad Eccleſiaſticos quod attinet, Regium etiam nomen aufert. Niſi enim Clerici Secularis Principis ſubditi fuerint, certum eſt ipſum non eſſe eorum Regem; cum Regem ſubditorum tantùm Regem eſſe neceſſe ſit. Quanquam autem ſit illud de quo dixi, Sacræ Scripturæ, rectæque rationi maximè contrarium, eſt tamen aliud hoc ipſo magis impium, atq; abſurdum. Non enim ſolum negant *Clericos eſſe Regum ſubditos*; ſed & ipſos Regibus *ſuperiores*, Regeſq; ipſis *ſubeſſe* dicunt. Quod ut tibi magis appareat ab Eccleſiâ Romanâ probari, utrumque ego ſequentibus teſtimoniis evincam.

In Jure *Canonico Gregorii* decimi tertii juſſu emendato, hæc ad verbum ſcripta invenias: * *Imperium non præeſt Sacerdotio ſed ſubeſt, & ei obedire tenetur.* Vel

* Lem. ad cap. *Solicitæ* 6. Extra. de major. & Obedient.

Vel ſic, [a] *Epiſcopus non debet ſubeſſe principibus, ſed præeſſe.* Quoque major huic portento authoritas conciliari poſſit, illud continuò additur; [b] *Hoc dicit Innocentius tertius, & eſt multum allegabile.* Illud, opinor, vult hoc ad Pontificis *Suprematum* confirmandum plurimum ponderis habere. Et dicit ea certè, aliaque plura in *decretali* iſtâ Epiſtolâ *Innocentius*, ex iis ego paucula hinc inde excerpam. [c] *Præcellit Imperator illos duntaxat, qui ab eo recipiunt temporalia--ſuper bonos & malos gladii accepit poteſtatem Imperator; ſed in eos ſolummodo, qui utentes gladio, ſunt ejus Juriſdictioni commiſſi*---*De Sacerdotali proſapiâ deſcendenti dictum eſt, non de Regiâ ſtirpe, Conſtitui te ſuper gentes, & Regna, ut evellas, diſſipes, &c.* Hæc & ſimilia in [d] antiquis, hæc in [e] novis illius Juris editionibus leguntur. Et magnus ille *Canoniſta* [f] *Panormitanus* docet iſta paulo plenius, atque enucleatius; [g] qui verò capitum argumenta confecit, eorum ſummam, atque vim ſic paucis enuntiat: *Imperium ſubeſt Sacerdotio, & ei obedire tenetur. Clericus nullo modo ſubeſt Laico, niſi ratione feudi ab eo habiti. Clerici ſunt exempti à Juriſdictione Laicorum Jure Divino.* Neque mirum ſanè videretur etiam Imperialem poteſtatem Pon-

[a] Ibid.
[b] Ibid.
[c] Dict. cap. *Solicitæ.*
[d] Corp. Jur. Can. Pariſ. 1520. Antwerp. 1570.
[e] Pariſ. 1612. & 1618. Lugd. 1661.
[f] Panormit. ad dict. *Solicitæ.* Lugd. 1569.
[g] Laur. de Fliſco Epiſc. Brumatenſ.

ficali *ſubeſſe*, ſi verùm eſſet quod *Innocentius* ille tertius decrevit; [a] *Ut quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur.* Eam vero Differentiam [b] *Gloſſatores*, pro ipſorum captu, ad calculos revocant; Ptolemaicas illi, ſi diis placet, rationes excutiunt, & inde utramque poteſtatem ſuis quaſi terminis accuratiſſimè circumſcribunt; & Pontificalem Imperatoriâ [c] infinitis prope vicibus majorem faciunt. Qui hiſce nugis aliquid tribuunt, ii proculdubio Reges, Imperatoreſque Pontifici ſubjici debere credunt. Omnem enim Cœlorum Harmoniam turbarent, ſi *Lunâ* in ſublimi poſitâ, *Solem* in inferiorem mundi locum detruderent.

[a] Cap. *Solicitæ*

[b] Bernard de Bolan. Canon. Bonon. in Gloſſ. ad verbum *inter Solem*. Ibid. & Laurent. in addit. ad Gloſſ.

[c] Vid. Corp. Jur. Can. cum Gloſſ. Pariſ. 1612.

Martinus quintus illud *Innocentii* decretum approbat, [d] firmat, & latius etiam explicat, in Epiſtolâ quadam, quæ nuper quidem in Jus *Canonicum* relata eſt. Illa verò ſic inſcribitur; *Laicis in Clericos nulla poteſtas*, &c. In ipsâ autem Epiſtolâ habentur hæc: [e] *Non attendentes, quod Laicis in Clericos, Eccleſiaſticas perſonas, aut eorum Bona, nulla ſit attributa poteſtas.* Eadem repetit, firmatq; [f] *Urbanus* ſextus; Laicóſq; omnes, qui quicquam ſibi Juris in Eccleſiaſticos arrogant, *cujuſcunque* [g] *præeminentiæ, dignitatis, ſtatus,*

[d] Cap. Ad. *reprimendas* 3. *de Foro competenti* in 7. Edit. Jur. Can. Lugd. 1661.

[e] Ib. dict. cap.

[f] Cap. *Quia* 2. de For. compet. in 7.

[g] Ibid.

tus, aut conditionis exiſtant, *excommunicari* ait: & *Principes*, inquit, *Marchiones, Duces*, &c. *non poſſunt ſine culpâ ſacrilegii Clericos bannire aut relegare.*

[a] Cajetan. in Aquin. 2. 2. Quæſt. 99. Art. 3. Sect. ad 5. Dubium. plura vid. in tit. de For. compet. & de invaſor. bonor. Eccleſ. in 7. decret.

Cajetanus Cardinalis, cum eſſet doctiſſimus, ſummæque apud ſuos dignitatis, Eccleſiæ Romanæ dogmata ignorare non potuit: At ille, [a] *Perſona*, inquit, *cujuſlibet Clerici eſt ſancta quoad hoc, quod non poteſt ſubjici Poteſtati ſeculari; & is qui contrarium faciat, ſacrilegus eſt.*

[b] Vid. Colleg. Bonon. Reſp. pro libertat. Eccleſ. Bonon. 1607. Sect. 21, 46, &c.

Imò verò doctorum hominum Collegium ſimilia nobis pro veris venditant: Qualia ſunt hæc: [b] *Reges non habent poteſtatem coactivam in Eccleſiaſticos. Eccleſiaſtici non poſſunt conveniri, niſi coram ſuperiori ſuo Eccleſiaſtico. Exemptio Clericorum eſt ex omnium ſententia Jure divino, ita ut à poteſtatibus ſecularibus, etiam ſupremis judicari, aut condemnari nequeant.* Hic te ad illud præcipuè animum advertere velim, Collegium *Bononienſe* diſertim affirmare Romano-Catholicos omnes in eâ eſſe ſententiâ, Clericos, tam Seculares, quam Regulares à Juriſdictione etiam *Supremarum Poteſtatum Secularium Jure Divino* * eximi. Inde verò duo hæc

* Vid. cap. *quia* 4. Extra. de Foro com. in 7. Lem. *Conſtitutionis editæ contra Principes Seculares, Juriſdictionis Eccleſiaſticæ libertatem impedientes innovantur.* Et in ipſo cap. *Quod Laicis in Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas non eſt attributa poteſtas — Reges, Duces, Marchiones, &c. in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, ut ipſi conſtitutiones prædictas obſervent — Si Dei offenſam & ſedis Apoſtolicæ vitare voluerint ultionem.* Papa in Concil. Lat. cap. 2. De Invaſor. & occup. bon. Eccleſ. in 7. Decretal.

manifestò consequi videntur: Primùm Clericos Pontificios, ubicunque fuerint, maximè autem in Angliâ, aliisque Regnis Religionem reformatam profitentibus, non esse *Regis* illius *subditos*, cujus fines incolunt; cum apertissimè pugnantia sint, aut hos illius subditos, aut illum horum Regem esse, cui nulla sit in ipsos *Jurisdictio*: Deinde impium illud ac seditiosum non esse paucorum, privatorúmque quorundam, sed Romano-Catholicorum omnium, adeóque illius Ecclesiæ dogma. Eam igitur Ecclesiam periculosi hujus dogmatis, Regibúsque omnibus pernicioſi damnari oportet.

At alios habemus hujus rei testes Collegii *Bononiensis* authoritate majores; [a] *Hispaniæ* dico, atque [b] *Portugalliæ Inquisitores*. Illi enim cùm in quodam, qui ad *Chrysostomi* opera concinnatus erat, Indice, hujusmodi verba forte offendissent: [c] *Sacerdotes etiam Principibus subditi Jure divino*: haud ignari hæc cum eâ, quam crepant, *Clericorum exemptione* stare non posse; damnant statim, & *Deleantur*, inquiunt, *illa verba*: Quanquam ipse Chrysostomus eadem haberet, in eo, qui in Indice signabatur loco. Jam verò clarissimum est eos, qui ista *deleri* jubent, illud quod his contrarium & oppositum

[a] Index Expurgat. Hisp. Madrit. 1667. in Joan. Chrysost. p. 703.
[b] Index Expurg. Lusitan. Olysip. 1624. p. 753.
[c] Edit. Basil. 1558.

poſitum eſt probare; *Sacerdotes* nempe *non eſſe Principibus Jure divino ſubditos*: Quod nos ita ſeditiosè ſentire Eccleſiam Romanam meritò contendimus.

Denique præcipua teſtimonia quibus hoc ipſum, atque alia quæ ſupra objecimus, Eccleſiam Romanam probare oſtendimus, ſumpta ſunt, aut ex probatis & receptis ipſorum legibus; aut ex *Bullis, Decretis*, & *Conſtitutionibus* Pontificum; aut ex Provincialium, Nationalium, vel Generalium Conciliorum *Canonibus*: Quæ omnia, ut ante diximus, Concilium [a] *Tridentinum innovat, & exacte ab omnibus obſervari præcipit.* Et Clerici [b] Seculares, omneſque animarum curam habentes, Regularium prælati, [c] Graduati omnes, Profeſſores, & Lectores in Academiis, [d] Medici, &c. in hæc verba [e] jurare tenentur: *Omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à ſacroſanctâ Synodo Tridentinâ definita, indubitanter recipio & profiteor, ac contraria omnia rejicio, ac anathematizo, ac à meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me ſpectat, teneri, doceri, & prædicari (quantum in me eſt) curabo.*

Ea quæ hactenus dicta ſunt æquo animo conſideranti clariſſimum videbitur; hæc de quibus diſſeruimus, Principia Regi-

[a] Concil. Trid. Seſſ. 25. de Reform. c. 20.
[b] Vid. Bull. Pii 4. ſuper form. Sacram. Profeſſ. fid. in calce Seſſ. 25. Concil. Trid. Dat. Rom. id. Nov. 1564.
[c] Vid. Bull. Pii 4. Extra. *De Magiſtris & Doctoribus* c. *in ſacroſancta.* 2. *In ſeptim.*
[d] Vid. Bull. Pii 5. Extra. *de Medicis.* cap. *ſupra Gregem.* 1. Decret. 7.
[e] Vid. dict. Bull. Pii 4.

Regibus Principibuſque, præcipuè verò Proteſtantibus, non tantum periculoſa, ſed & pernicioſa eſſe. Idque pleniùs liquebit ex alio quoque horum hominum dogmate, cujus ego ſuprà non memineram; *Fidem* ſcilicet *cum Hæreticis non eſſe ſervandam.* Quod ſic olim decretum eſt; * *Præſens ſancta Synodus ex quovis ſalvo conductu per Imperatorem, Reges, & alios Seculi Principes Hæreticis, vel de Hæreſi diffamatis, putantes eoſdem ſic à ſuis erroribus revocare, quocunque vinculo ſe adſtrinxerint, conceſſo, nullam fidei Catholicæ vel Juriſdictioni Eccleſiaſticæ præjudicium generari, vel impedimentum præſtari poſſe, ſeu debere declarat, quo minus, dicto ſalvo conductu non obſtante, liceat Judici competenti & Eccleſiaſtico, de hujuſmodi perſonarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eoſdemque punire, quantum juſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores revocare pertinaciter recuſaverint, etiamſi de ſalvo conductu confiſi, ad locum venerint Judicii, aliàs non venturi: nec ſic promittentem, cum fecerit quod in ipſo eſt, ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum.* Hæc adeo ſummis Magiſtratibus infeſta omnémque humani generis ſocietatem dirimentia, non ab hominibus privatis, ſed ab Eccleſiæ Romanæ patribus, in Concilio Gene-

* Concil. Conſtant. Seſſ. 19.

Generali *Conſtantienſi* decreta ſunt. Qui ut factis etiam oſtenderent ſe iſta comprobare, *Hieronymum Pragenſem, & Joannem Huſſum Hæreſios* damnatos miſerabiliter exuri curarunt; quamvis illi ab ipſis evocati, & *ſalvis conductibus* muniti, & confiſi ad Synodum acceſſerint. Illud præterea Principibus Proteſtantibus ſummopere animadvertendum eſt, quod *Conſtantiæ* etiam *Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac Inquiſitoribus Hæreticæ pravitatis* mandatum ſit, ut [b] *Omnes & ſingulos Hæreticos hujuſmodi —— utriuſque Sexus —— aut Hæreticis ipſis quomodolibet publicè, vel occultè in divinis, vel aliàs participantes, etiamſi Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Regali, Reginali, Ducali, aut alia quavis Eccleſiaſticâ vel Mundanâ præfulgeant dignitate —— Excommunicatos ſingulis diebus Dominicis & feſtivis in præſentia populi nuntient, & per alios nunciari faciant. Et nihilominus eoſdem omnes & ſingulos utriuſque Sexus——etiam per captiones, & incarcerationes perſonarum, & alias pœnas corporales——corrigant & puniant; ac diligenter corrigi & puniri faciant.*

[a] Concil. Conſt. Seſſ. 21. In damnat. Hier. Prag. Seſſ. 45. In damnat. Joan. Huſſ.

[b] In approb. damnat. error. Wicl. & Huſſ. apud Conſt. fact.

Hæc per ſe quidem dictu ſatis impia, in Angliâ nunc etiam agere conantur Pontificii; quod compertiſſimum habemus ex ſceleratiſſimâ conjuratione, quam

divina

divina nuper Providentia felicissimè nobis aperuit.

Atque ex dictis etiam constabit ea quæ Principibus periculosa & pernicioſa toties diximus, non esse tantùm privatorum quorundam principia; cum ea *Jesuitæ*, *Canonistæ*, scriptoréſque Pontificiorum quamplurimi in libris authoritate publicâ comprobatis tueantur. Cum in Jure *Canonico*, Epistolis *Decretalibus*, Paparum *constitutionibus*, & Conciliis, ut ipſi putant, *generalibus* eadem inveniantur. Cum Clerici prope omnes *Canones* istos, & Pontificum *decreta* Jurejurando defendere teneantur. Quod illi Jusjurandum [a] Concilii Tridentini, & [b] Pontificis authoritate jubentur præstare: Pontificem verò [c] ſupremum omnium Judicem agnoſcunt; eumque *Leo* decimus, quicquid Patres *Pisani*, *Constantienses*, *& Basilienses* contra statuerint, in Concilio *Lateranensi*, quod illi *Generale* vocant, Conciliis omnibus, etiam Generalibus, ſuperiorem esse declaravit: quod & nuper ut esset notius, omnéſque arctius obstringere videretur, in [d] Juris *Canonici* Corpus referri vidimus. Cum autem veriſſimum ſit Pontifices, & Concilia generalia ista, quæ memoravimus, comprobâsse; Clericoſque ad ea profitenda, & propaganda

[a] Vid. Concil. Trid. Sess. 24. c. 12. de Reform. & Annot. Jo. Solealli Theol. & Horat. Lut. Juriſcon. ad dict. c. Edit. dict. Concil. Antw. 1596. aliiſque nuperis.

[b] Bull. Pii 4. ſuper form. Juram.

[c] Concil. Flor. Decret. 4. apud Cong. à Coniol. p. 886.

[d] Cap. *Paſtor.* 1. Extra. *de Conciliis* in 7. & ibid. cap. *Sicut* 3. & cap. *Benedictus* 4. idem firmat. Pius 4.

da Jurejurando adegiſſe; ſequetur inde manifeſtò non eſſe hæc privatorum hominum, ſed publica, & probata Eccleſiæ Romanæ dogmata. Quod ſi quis hoc negaverit, poſtquam ea, quæ jam dicta ſunt, ſepoſito partium ſtudio ſecum perpenderit; impudentem illum ego non dixerim, ſed frontem habere, ſi non ferream, at eam certè quam haud facilè quis virtutis colore tinxerit.

Ut verò tandem ſcribendi finem faciam: Ad ſingulas rerum minutias, erroréſque Typographicos circumſpicere non eſt meum. Si autem Pontificius ille, ſive Clericus, ſive Laicus, quem narras mihi fidenter adeò negare Eccleſiam Romanam iſta, quæ objicimus, approbare, oſtendere poterit, me eorum Authores malâ fide citâſſe, neque eos, quos adduxi, locos, ad rem ipſam & teſtimonii ſummam quod attinet, in illorum ſcriptis occurrere; aut ſi forte iſtic occurrant, tum me eos in alienam ſententiam detorſiſſe; aut, ut de his non conſtiterit, ſi ſaltem monſtraverit Eccleſiam Romanam principia hæc perquàm ſanè pernicioſa damnâſſe unquam, eaque falſiſſima, atque impia eſſe, uti ſunt,

sunt, authoritate publicâ declarâsse ego, quod sancte hîc profiteor, in Pontificiorum castra, hoc est, ad pessimos Christianæ Fidei corruptores transfugiam.

FINIS.

JUSTITIA BRITANNICA.

PER QUAM

Liquet perſpicuè aliquot in eo Regno Perditos Cives,

SEDITIONIS

ET

Armorum civilium Authores, Regnique Hoſtium propugnatores acerrimos, ut communi Eccleſiæ Reique publicæ paci cautiùs proſpiceretur, morte mulctatos eſſe: propter *Religionem* vero, aut Cæremonias Romanas meminem in capitis diſcrimen vocatum: licèt ab adverſariis ſecus multò, & admodum malitiosè publicetur.

Perſcriptum primò in noſtrate Lingua, Deinde verſum in Latinam.

LONDINI,

Excudebat *Thomas Vautroullerius*, Anno M.D.LXXXIV. Anno Regni Reginæ *Elizabethæ* XXVI. Menſe Martio.

JUSTITIA BRITANNICA.

PER

Quam Liquet Perſpicuè, aliquot in Anglia perditos Cives, propter turpes Proditiones, *morte mulctatos eſſe. Propter* Religionem *verò aut Ceremonias Romanas neminem.*

SEmper hoc fuit in omnium Nationum atque Gentium more poſitum, jam inde ab ultimis ductum perditorum Civium temporibus, ut ſi qui turpiter contaminaſſent vitam, aut ſceleribus ſe gravioribus obſtrinxiſſent, iidem fœdiſſimis flagitiis & ſordibus ſuis, falſa virtutum & rectè factorum nomina imponerent: tùm ut viam contra vindictam omnem & dedecus certam atque facilem ſibi munirent, tum ut conatus ſuos impios cœptaque ſcelerata, ad eos, quos optarant, exitus, liberiùs perferrent. Qui mos cùm in omnibus peccantibus periculosè admodum invaleſcit, tum

Scelerati objiciunt ſemper fucos criminibus ſuis.

Perdueſles in tegendis flagitiis ſuis perniciſſimi artificis.

tum ſummo maximoque cum periculo retinetur in iis, qui contra principum ſuorum Majeſtatem, contra focos & aras, contra Ceremonias & Religiones, & ut uno verbo complectar, contra dulciſſimam patriam, inexpiabiles fraudes nefariè conceperint. Cujus quidem generis, recentibus iis temporibus, incredibilem quandam ſementem tam in *Anglia* ipſâ, quàm in *Hybernia*, fecerunt perditiſſimi Latrones, Cives, Domeſtici, nati in gremio atque in viſceribus ejuſdem nobiſcum communis patriæ, qui tamen cum aliquot jam annos adverſus Auguſtiſſimam, Inunctamque Reginam ſuam *Elizabetham*, obſervanter ſe demiſſéque geſſiſſent, ſubitò inopinatóque, malis ducibus & authoribus rapti, & tanquam turbine neſcio quo oblati, primò jam anteà in *Anglia*, tum poſt item nuper in *Hybernia*, teterrimè conſpirarunt, contra omne fas atque nefas, in ſacratiſſimam Principem ſuam, & communem patriam, ſumptis Armis, ductis in aciem copiis, expanſis impiè Signis & Velis, aſperſis omnis generis mendaciis, funeſtiſſimiſque habitis concionibus, quibus imperitam plebem, rerum novarum cupidam, itemque in perniciem ſuam facilè ruentem, ad partes ſectam-

Conjuratio tam in *Anglia* quam *Hybernia*.

ſectamque ſuam, callidè & verſutè adjungerent. Licétque nihil ſit notius, nihil expreſſius, nihilque teſtatius, quàm non ſolum conſilia, ſed & acta reſque ſuas geſtas omnes eo erupiſſe, ut depoſita atque deſpoliata regno ſuo legitima Hærede, & potentiſſima Principe, aliquem alium, quod in eorum votis jamdiu fuit, ejuſdem loco & Principatui ſceleratiſſimè ſufficerent, in quo ipſo, niſi prudenter & expeditè tot tantiſque ſceleribus ſimul occurſum fuiſſet, omnia jam jamque redundaſſent ſanguine, pluresque fideles & innocentes Cives, juſtiſſima in cauſa, indigniſſimè cecidiſſent: Deus tamen ipſe ille Majeſtatis ſuæ perennis cuſtos, victoriam pro ſumma clementia ſua, tam facilem, tamque inſignem præbuit, ut puncto ferè temporis, omnia conſopirentur. Exemplum Cœleſtis Juſtitiæ, ad omnem poſteritatem memorabile. In tam illuſtri igitur exemplo, ne quid ſeverè nimis fieret, aliquot inſignes prædonum capite mulctati, pœnas juſtas luerunt: nonnullis, quòd perfidiam ſuam cum gemitu profiterentur, turpiſſimamque conjurationem ſuam detexerent, vita eſt cum fortunis omnibus ſimul remiſſa. Reliqui verò, iique ex principibus pauci,

Rebelles fuſi.

Quidam rebelles tranſmarina regna petunt.

ci, elapſi ex acie, tranſmarina regna & libera territoria petiverunt, ſtrumæ ipſæ, atque funera patriæ ſuæ teterrima. Ubi cum minus expediret iis, cauſam ſuam, ita ut erat, profiteri, quòd omnibus regibus, omnibus populis, cunctiſque gentibus, ingratum ſit ipſum defectionis & proditionis nomen, multa affinxerunt tetra & probroſa, quibus regum nonnullorum, principum item, maximarumque Civitatum aures implerent, pelli ſe à patriis ſedibus, à conjugibus & liberis ablegari, omnia ſibi ſuiſque eripi Religionis cultuſque divini cauſâ. In primiſque Pontifici Romano hæc inſuſurrantur, vulgatiore verbo Papæ dicto, à quo in hæc ſcelera primum impellebantur, omnia in ſe conjecta hæc mala, quòd Sanctitatis illius partibus faverent, quòd ejus ſectæ adhæreſcerent, quòd juriſdictionem ipſius, authoritatem & regnum tuerentur. Cum tamen ante hanc conſpirationem, hujus ſectæ nonnulli, maximéque ipſi principes & authores conjurationis, eum vitæ curſum tenerent, quà ſtudiorum, quà morum, quà religionis forma, ut cum portentis illis Sardanapalo & Catilina vixiſſe potius familiariter, quàm inter probatos & incorruptos juſti regni cives

Rebelles ad tuendos ſe religionem prætexunt.

cives annumerandi viderentur. Quos nihil attinet omnes nominari. Paucos igitur, ut curſus orationis meæ feret, breviter intexam, ne omnia acerbè nimis inſectari aut collegiſſe videar.

Principes conjuratorum *Carolus Nevellius*, Weſtmerlandienſis Comes, & *Thomas Stuclius*.

Carolus Nevellius cum hujus latrocinii principibus aufugit in tranſmarinas partes, ex nobili Weſtmerlandienſi familia Heros, cinædus mollis, & per omnem vitam turpis decoctor, primum in ipſo ſceleris ſui apparatu juſtiſſima Dei ſententia transfixus, ereptis liberis, qui familiæ ſuæ nomen & decus tuerentur: itémque exeſo nunc tandem ulceribus, ſicut à familiaribus ſuis fertur, corrupto & vitiato corpore, ut ne in invidis quidem ſuis ſuperſit nunc quiſquam, qui peſtem illi aut vindictam acerbiorem optare velit. Magna reipublicæ labes, tam nobilem familiam, quæ à Principibus ſuis anteà nunquam defecerat, ad tam probroſum exitum corruiſſe. Elabitur ex Hybernia, *Thomas Stuclius*, infame per totum orbem prodigium, bellua perfida potius, quàm homo, patriæque ſuæ indigniſſima lues, primò fugiens ex Anglia, quòd piraticam frequenter fecerat: tum autem Hyberniam reliquerat quod inexpiabilia quædam, & verecundis auribus ne

nominanda quidem ſuſcepiſſet: uterque Princeps ſeditionis author: domi alter: alter in Hybernia. Quæ cum ita plana ſunt, iiſque veritatis notis & inſignibus impreſſa, ut nihil eorum negari poſſit, hoc eſt, iis morum vitæque ſordibus, non ſolum hos quos nominavi, vixiſſe, ſed & reliquos horum ſcelerum, & rebellionis affines, placuit tamen Pontifici Romano, non eo impudentiæ genere, quo iſti perditi ſunt uſi, in arcem hujus cauſæ invadere, ne corruptor fortaſſis publicæ diſciplinæ reliquis videretur Chriſtianis principibus eſſe, quod in Pontificali non poterat hac authoritate ſine ſummo dedecore fieri, ſed aliò delabens verſutè, ut ſibi viſus eſt, nodum contexit genere ipſo paulò turpiorem, locoque, quem ſibi aſſumit planè indignum. Inflat enim ſine fuco tubam ſuam, excitat non ſolum perditos cives, ſed etiam innocentes & ſimplices animat, ut turpis hujus inſtituti iter quam primum decurrant, hoc eſt, ut arma & tela confeſtim capiant, ut in Auguſtiſſimam principem, & ſanctiſſimam patriam, tranſmarinis cohortibus impreſſionem faciant, ſimulque ſine mora, ut ferro & igni vaſtent omnia. Quæ ut maturiùs ad exitus ſuos expedirentur, diplo-

diplomata quædam & Bullas aliquot annos jam anteà in omnes horum regnorum partes tranſmiſerat, uſitata fulmina, & tonitrua juriſdictionis ſuæ, quibus injurioſiſſimè publicat & edicit, Auguſtiſſimam principem noſtram, eandemque inunctam, & ſacratam ex præpotentis Dei beneficentia, Reginam, cum multos jam annos, ut hæres legitima regalis hujus ſolii, in eodem conſediſſet, regni tamen hujus, & avitæ hæreditatis Reginam omnino non eſſe. Mandans identidem in iis Bullis, unaque execrationibus omnibus injungens & præcipiens, ut omnes horum regnorum cives à principe ſua deficerent, ſpreta & contempta omni obſervantia, ad quam, tam religionis Sacramentis, & ſingularibus fidei ſponſionibus, quam naturæ jure & ipſis incunabulorum faſciis, obligarentur. Itemque non ſolum utriuſque regni cives omnes, qui in patriis tectis domi viverent, ſine exceptione, ad flagitioſam hanc defectionem incitans, prodigioſo hoc mandato, & planè Antichriſtiano, omnibuſque legibus tam divinis quam humanis repugnante, nec cum paſtoritio illo ſuo munere & officio quoque modo conſentiente: Sed etiam incendens facem illam profligatam, &

Bulla Pontificia in Auguſtiſſimam Angliæ Reginam.

trans

trans maria elapſam, quæ in ipſa civili
hujus belli flamma hinc ſe eripuerat, ſi-
mulque quoſcunque alios, qui ſive an-
teà ſive poſtea, patrias ſedes turpibu
de cauſis reliquerant, proditores, par-
ricidas, veneficos, decoctores, literatos
item quoſdam domi factioſos, omniáque
ſtomachantes, quòd in publicis gymna-
ſiis ſupr a fortunam & merita ſua, extra-
ordinariis dignitatibus non augerentur
exeſos quoſdam, fractos, & laceros mer-
catores, quoſdam item, ad ferendas li-
tes ac contentiones eruditos, at in ob-
ſequio obſervantiáque erga Patriam &
Principem ſuam admodum rebelles &
inſcientes, qui tamen omnes diſpertiti
inter ſe officiis, ut milites diſpoſiti in
ſpeculis; ſic ad omnes functiones & mi-
niſteria facinorum ſuorum ſolerter excu-
babant. Aliis tranſmarinam vim impi
contrahentibus: quibuſdam, pecuniam
ad alendam eandem vim parantibus:
multis, in Monarcharum & maximorum
Regum aures futiles & fallaces ſermones
inſtillantibus, quibus ad ferenda arma
contra patriam, communem ſuorum pa-
rentem, inflamment: aliquot jam ad
tollendam *Potentiſſimam* domeſticas in-
ſidias ſtruentibus: nonnullis, famoſos
libellos, quibus jam plena ſunt omnia

In tuenda bulla rebellium ſolertia.

ne intermiſſione detexentibus, teterrimis deſcriptos verbis & venenoſiſſimis conſperſos mendaciis. Quid quæris? ut ſimul complectar, omnibus huc una incumbentibus, Bullæ ut illæ ſacratæ, aqueis Bullis, à quibus mea quidem opinione nomen ſumpſerunt leviores, meræ nugæ & quiſquiliæ, vim, locum & authoritatem ſuam Pontificiam obtinerent.

His igitur ſtabilitis & fixis, cum adhuc tamen nodi quidam interveni-ent & impedimenta, ſic ut non poſſet naturè & facilè ad reliquum hujus itineris decurri, quòd quidam tranſmarinorum Principum, pro ſumma prudentia & divina juſtitia ſua, ad tam præcipitem támque cruentam cauſam minus adhuc propenderent, videte quæſo pro acumine hominum invidorum verſutam ſollertiam, qui cum in vinetis ſuis ocium non poſſent ferre, Scolas erexerunt & Collegia hominum literatorum, quos *Seminarios*, id eſt, tanquam Seminatores dicebant, viros obfirmatos ad pernicem, pervigiles ad explenda ſcelera ſua, & exercitatos, itemque in ſpargendis ſeditionum venenis mirificos artifices, quos eoſdem, tanquam in provincias milites, ſic in omnes tam Angliæ quàm Hyberniæ

Seminariæ Scolæ inſtitutæ tanquam ſeditionum nutrices.

niæ partes admodum cautè & diligenter diſpertiverunt: alios expletos Sacerdotes: multos minoris ordinis *Seminarios*: quoſdam etiam, excellentioris gradus *Jeſuitas*: omnes perſonatos, & à profeſſa diſciplina ſua, ne veſtis fortaſſe aut apparatus proderet, ſe, de induſtria & ex compoſito immutantes, deletis ordinum ſuorum inſignibus & tanquam abſtructis infulis. Quibus tamen omnibus hoc fuit propoſitum, hoc inſtitutum, ut tanquam agricolæ diligentes & ſeminatores frugum grana ſua, ſic & iſti Pontificis Romani feces & ſordes ſpargerent, ceras ſacratas, irreptitios Dei agnos, tanquam minorum gentium Deos, myſtica grana, ſanctificata precatoria, ſuperſtitioſam turpium rerum mercaturam, & puerorum jocularia ſæpè à multis deriſa: qua tamen mercatura non ſolum vulgus inducerent in fœdam & anilem ſuperſtitionem, ſed & ad probandas Bullas, cæteráque illa confirmandi Pontificii juris inſtrumenta attraherent, quibus ipſis extraordinariam & nimis petulantem uſurpatam authoritatem ſuam in Monarchas, Reges & Principes, cæteráſque poteſtates omnes, Pontifex Romanus confirmare ſolet. Quibus perniciociſſimis inventis, ita tamen perexiguo tempore,

Seminariorum clandeſtinus ac ceſſus in regnum ut plebem ad defectionem ſolicitent.

pore exulceratis quorundam conſcientiis, profectum eſt, ut niſi pro ſumma providentia ſua, Deus Optimus Maximus confeſtim reſtitiſſet, patefactis harum ſuperſtitionum ipſis Fontibus, neceſſe erat, non ſolum tumultus horribiles, & motus civiles inſequi, ſed & Chriſtiani ſanguinis rivos quoſdam cædéſque infinitas, ſine mora fieri. Quid enim apertius eſt, quàm tantum & tam perditum numerum, iis inventis allectum, & perductum eò, ut Chirographa & inſtrumenta Romana probaret, non modo in animis ſecretò & tectè, ſed & in luce palam, reum proditionis tantique ſceleris, jam jámque futurum? productis in aciem viribus ſuis, quibus ſuperiores, ſi infeſtus caſus feciſſet, quid defuturum putatis, vel ſceleris vel crudelitatis, ut omnia, quod jamdiu in votis eſt, ad Romanum Pontificem impiè transferrent?

Summus tamen & Immortalis Deus, præpotens ille omnium rerum adminiſtrator, cujus ditione ac numine, omnes Reges ſedes ſuas & regna tuentur, & cujus vel leviſſimo ſpiritu, proditiones & impii conatus omnes diſſipantur ſuſcepta in tutelam humillima *Ancilla* ſua, tam propter probatos mores, quàm quòd nomen Dei ſui ſacratum vero cultu in

terris

terris honoraret, duo illi dedit ad ſe muniendam præſidia, prudentiam & authoritatem: illam, ut ſummotis inſidiis ſine mora, vigilanter ſe, & ſalutem ſuam defenderet: hanc, ut ſumpta in hoſtes vindicta, in ſua vita conſervanda regnare diſceret. Itaque diſmiſſis in intimas regni partes nunciis, extraxit è lateribus ſuis, certos ſeditionis ſatores, quos perduxit ad Tribunal, quod eſt omnium facinorum ultimum everriculum, ibique juſtis criminibus, & plena concione, accuſavit: non Religionis, non conſcientiæ, non Pontificiæ Monarchiæ, quòd magis crebrò tamen quàm verè fertur, ſed Læſæ Majeſtatis, atque impiæ proditionis, idque pervetuſtis ſtatutis & legibus ſupra ducentos annos *Edvardi tertii* temporibus rogatis, cum non minus apud nos quàm in cæteris Chriſtianis regnis Pontificis Romani vigeret authoritas, uti in judiciorum & curiæ formulis contrà hos reos perſcriptis, luculentè continetur. Quibus itidem reis factis, atque conceptis juratorum ſacramentis legitimè condemnatis veniámque criminum, quæ æquiſſimis conditionibus, & ad perpetuam Auguſtiſſimæ Reginæ memoriam delata eſt, præfractè recuſantibus, quòd in deſperatis

Seminarum ſeditiones ſatores capti, & proditionis facti rei & ex vetuſtis regni legibus morte mulctati.

ratis inſtitutis ſuis obſirmatiores eſſent, in cuſtodias publicas à tribunali diviſi ſunt, ut ſtatis temporibus & certis diebus morerentur. Quod idem expletum eſt, ſicut judicum ſententiæ præſcripſerant. Sequebantur enim infeſtiſſimum Auguſtiſſimæ & Regni noſtri hoſtem, Phalaridem illum Romanum, qui non modo faces omnes hujus civilis belli utroque in regno inflammaverat, ſed & in Hybernia cohortes ſuas, ſtipendio & congiario, ſub ſignis Romanis contra nos aluit, hoſtis ut nullus urgere poſſet acerbiùs. Si qui tamen horum ab erroribus ſuis pedem retraxerant, is fuit excellentiſſimæ Reginæ animus, eáque miſericordia, ut pœnam ſtatim remitteret, neminémque mori cuperet, niſi qui obduratè ipſe ſe abjiceret. Quibuſdam condemnatis venia conceſſa.

Genus igitur hujus ſectæ, quod & quale ſit, etſi ex iis, quæ dixi, perſpicitur, idem illud tamen ex his, qui adhuc latent, & in intima tranſmarinorum regnorum viſcera ſeſe abdiderunt, ut & à periculo quàm longiſſimè abeſſent, & molirentur item aliquid ſecuriùs, quod genus mali latè patet, pari in ſcelere, & fuſius & liquidius eluceſcet. Qui enim grandiores ſunt in illis, & authoritate præſtant, ii juniorum nidos, cum

* Proditores tranſmarini ſeditioſos in regnum immittunt.

cum pennis valent, excutiunt, mandantque ut in ditiones noſtras confeſtim involent, ut inchoata inſtituta teneant, hoc eſt, ut conſopitas jam & in patriæ gremio ſepultas conſpirationes veteres renovent, omniaque perturbent, ac miſceant, ut Bullarum vires contra Principem & patriam ſuam confirmentur, muniantur, & pro omni facultate ſua labantes jam recolligantur. Qui itidem, ſi in iis partibus comprehenſi, cogantur aliquando conſiliorum ſuorum fontes ipſos aperire, tanquam agni ſimplices eodem relabuntur, tantum ſe affirmantes attigiſſe negotii, quantum ſibi à primoribus ſuis, quorum ſibi ab inſtitutis & legibus non liceret propter conſcientiæ vim diſcedere, mandatum eſſet. Id autem ab iis ſibi negotium datum eſſe, ut ſpretis omnium Regum atq; nationum mandatis & terroribus, irrepentem in hæc regna, ut vocant, impietatem tollerent, ut collabentem Religionem excitarent, ut errantis populi conſcientias inſtruerunt, corrigerent, & quoad ſibi viſum eſſet, omnes in partes inflecterent. Genus reſponſi, ut videtis, ſimplex & apertum, cum flexus tamen varios habeat, nihilque ſit à ſimplicitate alienius. Hic enim ſcopus, hæc conſiliorum ſuorum meta eſt,

eſt, quod crebris & manifeſtis judiciis conſtat, multitudinem & plebem, cum qua conferre audent, ut ſuis partibus adjungant, ut Romani Pontificis Bullis & authoritate nitantur, eique in omnibus ſine exceptione parentes, ab omni in Principem patriámque fide & obſervantia ſolutos ſe & liberos ſtatuant: iiſdémque ejuſdem Pontificis privilegiis & mandatis permiſſum eſſe cuilibet civi, liberè & ſine ullo conſcientiæ aculeo, arma contra Auguſtiſſimam Principem, & ſanctam Patriam ferre, cum à tranſmarinis ſociis eò vocentur: itémque vires ſuas conjungere cum iis, ſi qui ſint fortaſſis, qui decreverint in hæc regna vim aut impetum facere: qua etiam ſpe, vulgi et multitudinis animos jamdiu mirabiliter impleverant. Perſpicuum ſit igitur, ne omnia differantur, omnia horum conſilia & conatus eo dirigi, ut non ſolum externis nos armis ac telis oppugnent, qua tamen peſte viginti quatuor annos, vel non multò ſecus, regnum hoc, memorabili exemplo, caruit, ſed ut civile bellum etiam & domeſticum inflamment, quo nihil miſerius, nihil periculoſius, non ſolum propter exitus eorum, qui ſunt incerti, ſed & propter vim, quæ ſine diſcrimine in omnes intentatur,

Tranſmarini proditores bellum tam externum quàm domeſtic cum inſtruunt.

uſque eò, ut non magis victores quàm victi quicquam inveniant, quo ſe conſolentur, aut in quo cum voluptate ulla acquieſcant.

Quando igitur hæc ſunt illa vulnera Reipub. noſtræ, quæ neceſſe eſt fallaces hos ſpiritus & venenoſas viperas inſequi, ſi curſus daretur is, liberè ut correperent quo vellent, ſimulque acerbitatis ſuæ virus ſine periculo evomerent, ut cumque cum deprehenduntur, tanquam periculoſi hypocritæ conatus ſuos religionis & pietatis umbris obtegant, hæc inquam, cùm, illa ſunt vulnera quibus confeſtim mederi neceſſe eſt, expedit omnino, in primiſque Reipub. conducit, ut omnes Reip. ordines ſine mora ſe expediant, in quo ipſo, tam Auguſtiſſimam Reginam, proceres, cæterámque nobilitatem complector, quàm minores præſides & magiſtratus, quibus ſeparatim poteſtas à Rep. data eſt, ut pacem procurent in regnis,& ut quietè vivatur, in quo genere, ita Principis noſtræ tempora floruerunt, ut majores ſuos omnes hac fœlicitate multum vicerit. Quæ cum ita ſint, eò magis expedit, ut oborta nuper fœda tempeſtate, tanquam in publico incendio, ſic omnes, ſine exceptione, huc incumbant, huc vires ſuas omnes,

Monarcharum & regum munus præcipuum ſeditiones comprimere.

omnes, ut quiſque authoritate valet, ſine mora conferant, ut naſcentia hæc mala, dum tempus fert, quibuſcunque modis, & pro omni acuminis ſui facultate ſupprimant, & deſperatos hos tam perditorum latronum conatus quàm primùm frangant, adhibitis non ſolum juris & legum præſidiis, ſed & exacuatis etiam ſi neceſſe erit, mucronibus & gladiis, ut labes hæc omnis & ſtruma publica prorſus deleatur.

Nam illud quidem in Principe, quàm eſt honorificum, quanti officii, quantæque clementiæ plenum, vivere in Repub. cives permultos, qui non ſolum in religionis cultuſque divini opinionibus, à publicatis per totam Britanicam Eccleſiam ſcitis & legibus, multum diſcrepent, ſed idem illud etiam vultu & oratione profitentur, qui tamen quod probati ſint, cives & officioſi, ſicque in Principem & in patriam animati, ut in iis tuendis defendiſque nullum periculum vel ſumptum recuſent ſuum, ne ſi contra Romanum Pontificem acies inſtruenda eſſet, hæc à Principe Auguſtiſſima retributa merces illis eſt, ut non ſolum liberet eos ab omni horum ſcelerum ſuſpicione, ſed & ulterius permiſſeret, ut ex vetere modeſtia integre ſe & incorruptè gerentes,

Nemo ſic animatus in patriam ut externis armis paratè reſiſtat, licet alienæ ſit religionis, in capitis judicium unquam vocatus.

ab omni inquiſitionis acerbitate liberi ſint & ſoluti, ſic ut nullus magiſtratuum in hoc infami proditionis genere, negotium illis ullum vel moleſtiam, aut velit, aut poſſit exhibere. Atque hujus quidem generis aliquot ſunt & altioris gradus & probatioris vitæ, quàm ſex illa fuit, in quam vis eſt nuper ſumpta per illuſtres omnes, nec indigni, qui ad immortalem clementiſſimæ Reginæ memoriam, huic etiam loco certum ad numerum intexantur. Horum ſummus & princeps, tam propter geſtos honores, quam propter reliquam vitam *Nicholaus Hethus* fuit, illuſtre modeſtiæ prudentiæq; exemplar, unáq; excellenter eruditus, & Reginæ *Mariæ* temporibus Eboracenſis Archiepiſcopus, ſimulq; in conſcientiæ Curia, quæ apud nos, Cancellaria, vulgato verbo dicitur, quæ honoratiſſimus item in Repub. magiſtratus eſt, Judex ſummus. Demortua verò Regina *Maria*, cum præhenſis Reipub. gubernaculis Auguſtiſſima Regina ut hæres regni proxima ſucceſſerat, idem *Hethus*, quod eſſet probatis moribus, & in officio viveret veteres magiſtratus gratiam, opes, & quicquid habuit præterea fortuiti boni, cum ſummo principis favore & ſtudio retinuit, prorſus in religione differens, nec propterea tamen vel honore, vel fortunis

Exempla indulgentiæ qua Regina Angliæ uſa eſt in quoſdam regni ſui ſubditos & viros primarios Pontificiæ religioni addictos.

nis comminutus. Qui tamen perexiguo pòſt tempore, quod gravius fortaſſis commutationem temporum ferret magiſtratus ſuos omnes, cæteraque illa honorum inſignia obſervanter & gratè depoſuit, nulla injecta foris vi, quo nihil eſt clarius, ſed ſponte ſua, uti inoteſcit & maxime liberé. Cui ſtatim ab Auguſtiſſima, pro vetere clementiæ ſuæ more permiſſum eſt, ut in ruſticatum & agros ſuos quos ſecundis in rebus coemeret, ſe ſubduceret, vel pro arbitratu ſuo, ut quovis aliò ſe tranſferret, ubi reliquam ætatem ex animi ſententia literato in ocio conſumeret, quod illi erat ſolum vivere. In quibus itidem multam ad ætatem vixit, prudenter, obſervanter & officiosè non imemmor earum laudum in quibus florente ætate viguerat. Diſcedens tandem de hac vita, teſtamentum perſcripſit, agros illos legavit, & hæredes inſtituit, quibus item permiſſum eſt, ut ex Teſtamenti ſententia liberè faciléque eoſdem poſſiderent: exemplum memorabilis clementiæ, ſummique officii plenum, nec in omnibus Reginæ *Mariæ* temporibus pari exemplo æquatum.

Polus item erat Petriburgenſis Pontifex, ſummæ modeſtiæ vir & raræ gravitatis, qui pari uſus Principis beneficio, in pari obſervantia, vitæque innocentia, tan-

quam ex theatro, ſic exiit è vita. *Cutbertum Tonſtallum*, Dunelmenſem pontificem non licet prætermittere, hominem gravem, ſummeque literatum, multiſque honorum inſignibus tam foris, quàm domi clarum, qui functus æquo in principem officio, matura ætate, multaque cum laude deceſſit. Plures ſuperſunt hujus gradus pontifices *Johannes Whitus* & *Owinus Ogletborpius*, ille Vintonienſis, hic Carlelienſis, uterque multi officii & ingenuis moribus. Hic item ea obſervantia, tamque ardenti in principem ſtudio fuit, ut inungendæ conſecrandæque Majeſtatis ſuæ, tum, cum in Templi Veſtmonaſterienſi coronata eſt, cura illi ſoli permiſſa ſit & conceſſa. *Thomas Thurlbius* & *Thomas Vatſonus* non omittendi, ille *Elienſis*, hic *Lincolnienſis* pontifex, alter affabilior, alter moroſior, idemque adhuc vivus. Fuit & in hoc numero D. *Turbervilius* Exonienſis ingenuus quidem magis quam literatus pontifex, qui ad inflexam vixit ætatem in ſumma libertate, nec is magis quam ordinis ſui omnes, è quibus nemo capitalis eſt unquam criminis factus reus, licet contra recentes legitiméque rogatas leges Monarchiam Romani pontificis ſimul omnes propugnarent & defenderent. *Jo-*

hannes

hannes Fecnamus iis adjiciendus, Veſtmonaſterienſis Abbas, vir ad multos annos ſuavis & humanus. Aliquot etiam minorum graduum attexantur *Johannes Boxolus* Vindeſorienſis decanus, modeſtiſſimis & ſuaviſſimis moribus, multiſque literis tinctus. Paulinus item Decanus *Henricus Colus*, vehemens magis quam moderatus, unaque *Tho. Rainoldus* non illiteratus ſanè Exonienſis Decanus. Omiſſis infinitis aliis, qui cum illuſtribus defuncti eſſent in Eccleſia ſuis muneribus & dignitatibus, multamque authoritatem collegiſſent, ſpreto item ab iis per antegreſſam vitam omnem Romani pontificis Principatu, quæ profitendi forma in *Mariano* regno cœpta eſt ab iis immutari, nullum tamen iis eſt capitalis rei crimen objectum, nec privatis in rebus ſuis quicquam eſt imminutum, aut detractum. Exceptis ſolum Eccleſiaſticis functionibus atque dignitatibus, quas ex ſanctis & promulgatis regni legibus obire recuſarunt. Maxima item horum pars, nonnullique alii, recepti in certorum Pontificum familias, gratis alebantur & copioſè, ſummoque cum ocio ac quiete animi vixerunt, tam ad devitandos ſumptus, quam ad continuandum prioris vitæ genus & formam. Nec ea his indul-

gentia & liberalitas erepta prius est, quàm Bullæ Romanæ cœperunt publicum regni statum disturbare. Quibus quoniam horum quidam acerbius se & paratius immiscuerant, quàm vel expediebat Reip. vel locis suis conveniebat, ad magis firma & magis munita loca deportabantur, quo minus liceret tenebrionibus istis, & venenosis emissariis pro more suo decurrere hominibus flagitiosis & notis, simulque ad concitandos civiles tumultus descriptis, & ad immitendas in Rempub. faces & tædas conductis. De quibns sanè periculis, Bullæ ipsæ eam injiciunt suspicionem, ut planè dubitari non possit, quanta hæc tandem cum misericordia fiunt, cum non modo in horum quenquam, vis sit nulla intentata, sed nè quæstio quidem capitalis criminis ulla cuiquam objecta, quo minus ad ultimas annorum metas perveniant, quas illis natura descripserit, si quidem observanter se gesserint; & in officio permanserint. Atque hoc in loco illud memorabile, nec observatione indignum, Principes horum, majoremque numerum, potentissimi Regis, *Henrici* Octavi, ejusque filii *Edvardi* Sexti temporibus, vel concionando, vel scribendo, vel legendo, vel arguendo, vulgus plebemque instruxisse, non

Iidem & recentes Pontificiæ Monarchiæ favores & acerrimi ejusdem anteà hostes, ut ex variis eorum scriptis luculentè patet.

non ſolum ut contemnerent hanc pontificiam Authoritatem, & ab illo dedecore ſe ſubtraherent, ſed & deteſtarentur etiam eandem & planè execrarentur. Ad quam etiam opinionem ſententiamque, cum voluntariis ſacramentis, ſanctiſque fidei ſuæ ſponſionibus, ipſi ſe crebrò obſtrinxerant, tum invictiſſimis iis Regibus authores erant, ut erepto pontifici Romano hoc Principatus & prærogativæ titulo, ipſi ſe in terris, proximè poſt Chriſtum, *Eccleſiæ capita*, ſcriptis & legibus ſuis publicarent. Quem item prærogativæ titulum Auguſtiſſimam Principem noſtram ſibi aſſumpſiſſe, ab hoſte impudenter & falsò objicitur: ut ex Curiatis legibus liquet, quas *Parliamentorum Acta* vulgò dicimus, &, ut ab ipſo regni initio, in Majeſtatis ſuæ ſtylo, omiſſum eſſe conſtat. Quæ ut liquidiùs intelligantur, ad eorum vos libros & ſermones referro, quos ſcripſerunt multis voluminibus, qui & nunc extant, tam latina, quam noſtrate lingua publicati, ad perpetuum eorum dedecus, & perennem infamiam, non modo ob variam multiplicemque ipſorum in divinis rebus inconſtantiam, ſed multò etiam magis, quod, quos ipſi erudierant ad religionem, eos, acerbiſſimis pœnis graviſſimiſq; tormentis mulctarunt, ut, quo præcipiendo, deduxerant, inde,

fran

frangendo potius, quam inflectendo, retraherent. O verſutam & fallacem nocendi rationem, & ipſi in ſanctum Spiritum peccato ferè parem!

Permulti cives divitiis & patrimoniis potentes, & Pontificiam religionem profitentes capitalibus criminibus prorſus intacti.

Nec illud eſt minus perſpicuum, multos, non initiatos, hoc eſt, laici ordinis, ut vulgo loquimur, poſſeſſionibus & fundis perdivites, domi etiam & in municipiis ſuis illuſtres, veneficiis neſcio quibus ad Pontificias partes attractos eſſe, cum eorum tamen nemo, ob tam robuſtam improbitatem, vel capitis, vel patrimonii, vel fortunarum periculum ullum adierit. Quod ſatis eſt argumenti, non quæri Religionis aut Pontificis cauſas, quibus punirentur rei, cum jam inde ab ipſo Majeſtatis ſuæ aditu in regnum, his de cauſis nemo ſit mortuus, licet ab adverſariis ſecus multo publicetur. Cumque non minus & illud conſtet etiam, hujus ordinis nonnullos ad Pontificias partes ita ſe inflexiſſe, ut non recuſent publice in conventiculis, & aperte affirmare, Eccleſiæ totius, ſive Principatum, ſive Monarchiam, ſive primatum, ſive alio quovis nomine libet uti, ut nihil relinquatur erroris, vel ſuſpitionis in verbo, ſoli Pontifici Romano, per totum terrarum orbem, expreſſo Dei verbo attribui: illique Eccleſiaſticis in cauſis

Propter Pontificiam Monarchiam nemo capitalis criminis factus reus.

ſis omnibus, juriſdictionem Eccleſiaſticam omnem ſoli permiſſam eſſe, itemque Auguſtiſſimæ Reginæ minimè licere, in eos cives, qui ſunt ordinis Eccleſiaſtici, hoc eſt, qui ſacris præſunt ſolemnibus, quoque modo, juriſdictionem ſuam regalem ut exerceat. Quæ opiniones cum gravibus devinciantur legum pœnis, authoreſque earum variis mulctis implicent, nihil tamen durius in hos hactenus conſultum eſt, neque quiſquam his de cauſis ullo eſt vel læſæ Majeſtatis crimine, vel capitis periculo irretitus: ut perſpicuè intelligi poſſit, ſi excutiantur crimina & judicia eorum, qui nuper mortui ſunt, & jure cæſi, non eos cultus divini, cæremoniarum, aut religionis reos factos eſſe, etſi nomen hoc pro tribunali ſæpius urgebant, ut genus accuſationis immutarent, & ventos colligerent multitudinis, ſed hoc illis objectum, intentatum, & probatum eſſe, quod Pontificias Bullas, earumque ſenſum, animum, atque ſententiam, omni pro facultate ſua, ubivis defenderent ac tuerentur.

Quorum hoc quidem primum & venenoſiſſimum caput eſt, Auguſtiſſimam noſtram principem, regnorum ſuorum legitimam Reginam, non eſſe crimen læſæ Majeſtatis grave & luculentum. Deinde

4. Proditionis capita.

2 de cives ſuos omnes, ab omni obſervantia, obſequio, & fide adverſus Principem ſuam ſolutos & liberatos eſſe: peccatum priori par & æquale. Itemque impunitatem ſummam proponi iis, qui à fide ſua in Principem deficerint: ſcelus latè patens & prioribus æquum. Poſtremo pontificis Romani hoſtilem impreſſionem in Hyberniam, ab iis eſſe probatam, ad eamque vim expediendam, cohortem quendam ſuam delectum eſſe, *Nicolaum Sanderum*, ſcolarem perditum, & improbum civem, perfugam & patriæ proditorem infeſtum, unaque cum latronibus illis Romanis, arctiſſima ſocietate conjunctum pontificio diplomate ſumma in gratia maximaque in authoritate poſitum eſſe, aliàs tanquam in proregis, aliàs in legati, aliàs in quæſtoris loco. Idem etiam paulò antè quàm Hyberniam peteret, in Monarchia ſua glorioſè affirmat *Pii Quinti* fœdam illam & peſtiferam Bullam, ritè, juſtè & legitimè, in Auguſtiſſimam perſcriptam & intortam eſſe. Itemque ejuſdem Bullæ authoritate, *Nicholaum Mortonum*, lacerum ſacrificulum & turpem conſpiratorem, Roma demiſſum eſſe, in hujus regni boreales partes, ut ad rebellionem excitaret plebem, & ar ma civilia moveret, quorum paulo

3

4

Pontificiæ Bullæ propugnatio, ut à Sandero ſuſcepta.

lo post *Carolus Nevellius*, præcipuus dux & solicitator fuit.

Quibus positis & constitutis, apertè liquet, utranque defectionem, tam domi, quàm in Hybernia, è Romanis esse Bullis natam. Quas quod tam perdite tuerentur quidam latrones, viresque quibus poterant modis desperate eisdem afferrent, propterea proditionis, ex vetustis Reip. legibus, rei facti solum propter has labes & crimina, & jure sunt condemnati, & juste cæsi: quod fraudes in Reginam & Rempub. tam foris quam domi turpiter contraxissent, quod pontificias Bullas, authoritatemque sedis scelerate obvallassent, quod cives à fide in Reginam & rempub. ad defectiones seditionesque flagitiosè excitassent, submotis prorsus, ut sæpe jam dictum est, religionis & divini cultus criminibus, & quæstionibus omnibus. Etsi nec illud inficiandum est, non raro hos, pro tribunali, & libenter in eum sermone delapsos, de religione & sacris, ut aliquid aspergerent, eoque, uti paulo ante posui, pro omni vi sua incumberent, ut religionis non læsæ Majestatis rei viderentur. A quo pulsi dolo & invento, proditionis criminibus, secunda concione, & perpetuis orationibus sunt accusati, itidemque ex juratorum

ratorum ſacramentis condemnati, & ex judicum ſententiis morte mulctati. Atque ex hoc notare libet, quantum inter veros Auguſtiſſimæ Reginæ proceſſus, & turpia adverſatiorum mendacia interſit, qui nihil magis inclament, quàm infinitos à nobis martyres trucidatos eſſe, quod in Chriſti fide & religione Catholica perſiſterent: cum liquidius multò illud conſtet, ſi martyres hos eſſe velint & ſtatuant, Romani Pontificis potius, quàm Chriſti martyres fuiſſe: hoc præſertim fixo & poſito, morti hos eſſe deſtinatos, quod Romano Pontifici, acerbiſſimo Reginæ noſtræ & ditionum ſuarum omnium infeſtiſſimo hoſti, adhærerent, ejuſque Bullas, diplomata reliquaque inſtrumenta, hoſtilibus conſperſa,& venenoſis in Principem dolis,ſanguine ſuo ſancienda cenſuerint. Iſtamque eſſe mentem, & ſententiam eorum, qui tam præfractè & obduratè tuentur Pontificiam authoritatem ex verbis ipſius Bullæ ſubtextis, & ex *Sanderi* teſtimonio conſtat perſpicuè. Bulla ſequitur eiſdem verbis quibus eſt à *Sandero* deſcripta.

Luculentum argumentum propugnatores Bullæ Pontificiæ, reos proditionis eſſe.

PIUS *Quintus, Pontifex Maximus de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*

declaravit, Elizabetham, *prætenſo Regni jure, necnon omni & quocunque dominio, dignitate, privilegioque privatam. Itemque Proceres ſubditos & populos dicti Regni, ac cæteros omnes qui illi quomodocunque juraverunt, à juramento hujuſmodi ac omni fidelitatis debito, perpetuò abſolutus.*

Et quæ in eandem ſententiam ſequuntur, multis ſanè intextis minis & execrationibus, quibus involverat univerſos, ſi qui Majeſtatis ſuæ imperio, ſuſſve legibus ſe objecerant: ut vel hinc liquidò conſtet, Bullam illam Pontificiam, unaque *Sanderi* legationem omnem, apertam ex propoſito inſtituiſſe civium defectionem. Qua de re ipſum, ſi placet, *Sanderum* tædam illam totius incendii Hibernici, his ipſis verbis inviſibilis Eccleſiæ ſuæ Monarchia loquentem audiamus.

Nicolai Mortoni myſtica legatio ſuſcipitur, ut ſeditiones boreales concitaret.

PIUS *Quintus, Pontifex Maximus, Anno Domini* 1569. *Reverendum Presbyterum* Nicolaum Mortonum *Anglum in Angliam miſit, ut certis illuſtribus viris, authoritate Apoſtolica denunciaret*, Elizabetham, *quæ tunc rerum potiebatur, hæreticam eſſe: ob eámque cauſam, omni Dominio & poteſtate excidiſſe, impunéque ab illis, velut Ethnicam haberi poſſe, nec*

eos

eos illius legibus aut mandatis deinceps obedire cogi.

Ecce vobis legationem à Pontificis Romani Sanctitate ad ferendas seditiones civiles missam, legato deliro & lacero sacrificulo, cum arcu & fuscina tanquam Martis flamine. Cui hoc negotium datum est, uti sæpe gloriari solebat, ut Northumbrienſem & Vestmorlandienſem Heroes, primæ illius defectionis principes, ad arma in patriam ferenda incitaret, in eoque mea quidem opinione, hoc est etiam institutum, ut patriam hosti relinqueret diripiendam. O fœdam legationem! O scelerata religionis fœdera! Progreditur etiam longius *Sanderus*, in textu legationis successu, cujus eventum, non dubito quin intimis sensibus multum exhorruerit. Ipsum legite *Sanderum.*

Qua denunciatione, multi nobiles viri adducti sunt, ut de fratribus liberandis cogitare anderent. Ac sperabant illi quidem, Catholicos omnes summis viribus affuturos esse: verùm, etsi aliter quàm illi expectabant res evenit, quia Catholici omnes, nondum probè cognoverant, Elizabetham *Hæreticam esse declaratam: tamen laudanda illorum Nobilium consilia erant.*

Facinus hoc quod *Sanderus* ita nobilitat, borealium civium est defectio. Nobiles

biles ipſi, Northumbrienſis & Veſtmerlandienſis ſunt Herôes. Omiſſus eventus quod ſuperati ſunt hoſtes & perduelles, victoria, pro Dei ſumma clementia noſtris tradita. Cauſa verò cur hoſtis ſit fuſus, ex eo maximè eſt nata, quod certiores ſimul non ſunt facti Catholici proditores, Reginam noſtram hæreticam, ut appellant, Romæ denuntiatam eſſe. Qui docendi inſtruendique error, ut viribus interim & numero fortiores, de reliquo, rebelles fierent, artificiosè corrigitur, & expletur poſtea, immiſſis occultè in regni latebras, tot *Jeſuitarum* & *Seminariorum* cohortibus, quorum hoc opus & negotium ſummum erat, ut omnibus quibuſcum agere tuto liceret, inculcarent, Reginam ejectam ex Eccleſia, hæreticam Romæ habitam, ibidemque illi à ſacris omnibus interdictum. Supplementum ad recolligendas amiſſas vires rebellium acutè excogitatum.

Licétque in hanc ſententiam, & in hæc verba ſcripſerit *Sanderus*, probabiliter tamen, ut quidem arbitrantur, afferri poteſt, à neceſſariis & fautoribus *Roberti Perſonii*, qui adhuc latet in latibulo ſuo, ut fœdi aliquid expediat, & ab *Edmundi Campiani* familiaribus, qui extractus ex antro ſuo, tanquam perſonatus ganeo veſte

Ut Sanderus, ſic Perſonus & Campianus eodem Bullæ probandæ crimine comprehenduntur.

ſte nitens & olens unguenta, deprehenſis ſceleribus, nuper eſt mortuus, has fraudes & flagitioſas patriæ proditiones, in *Sanderi* ſola perſona conſiſtere, nec in alium quenquam quoquo modo tranſferendas eſſe. Ut planum igitur fiat, his etiam duobus *Jeſuitis* ſeparatam quandam & propriam autoritatem datam eſſe, qua Bullam ipſam quàm poſſent diligentiſſimè ſtabilirent, ſuumq; ad exitum, quantum in illis eſt perferrent, exactis facultatibus, & inſtrumentis ſubtextis, quæ occultata in veſtibus comitis cujuſdam ſui, eruebantur ex eiſdem, paulo poſt *Campiani* mortem eluceſcit, qui ſimiliter cum ea ipſa quæſtione graviter urgeretur, non multum ante mortis diem, admodum pernegabat, ut quantum hujuſmodi pſeudomartyribus fidei tribuendum ſit, ex rebus geſtis, & vitæ moribus poſſit intelligi.

FACULTATES CONCESSÆ PP. Roberto Perſonio & Edmundo Campiano, *pro Anglia die* 14 Aprilis. 1580

Perſono & Campiano conceſſæ facultates, à *Gregorio.* 13 Anno. 1580.

PEtatur à ſummo Domino noſtro, explicatio Bullæ declaratoriæ per Pium Quintum, *contra* Elizabetham *& ei adhærentes, quam Catholici cupiunt intelligi hoc modo, ut obliget ſemper illam & hæreticos*

vos, Catholicos verò nullo modo, rebus ſic ſtantibus, ſed tum demum, quando publica ejuſdem Bullæ executio fieri poterit.

Plurimæ inſequuntur aliæ facultates poſtulatæ ab iis, quibus ampliore poteſtate donati ſunt, quas nihil attinet hoc in loco attexere, tantum ea appendam quæ in calce adjecta pontificii reſcripti ſummam continent his ipſis verbis:

Qua munitus authoritate in *Angliam Campianus* venerit.

Has prædictas gratias, conceſſit ſummus pontifex, patri Roberto Perſonio, *&* Edmundo Campiano *in* Angliam *profecturis, die* 14. Aprilis 1580. *præſente patre Oliverio Manarco aſſiſtente.*

Ex quibus perſpicuum ſit, quem nuncium *Campianus* in regnum attulerit, quamque Authoritatem à pontifice ceperit, interpretandæ in Principem noſtram Bullæ, quantumcunque hæc myſteria reticenda cenſuerit, fortaſſis, ne diſciplinæ ſuæ prima dogmata moriens prodidiſſe videretur. Cumque hoc unà conſtet duos illos *Jeſuitas, Perſonium* & *Campianum* non ſolum à pontifice conjunctim petiviſſe, ut ipſe de Bulla ipſa quid ſentiret exponeret, ſed adjunxiſſe etiam, ipſi unà cum cæteris Catholicis, quemadmodum explicari in Regiam Majeſtatem eandem cuperent, ut planius tamen fiat, quàm liberè & largè, *Jeſuitis,*

tis, *Seminariis*, & Catholicis omnibus permiſſum ſit, tam in Principem ipſam, quam in cives regni probatos interpretari, utcunque hæc diſſimulent, ex *Harti* cujuſdam oratione, qui & ex eadem ſocietate fuit, & cum *Campiano* addictus morti adhuc vivit, perſpicuè intelligitur, qui pridei Cal. *Januar.* inter alia nonnulla ingenuè & ſponte ſua, hæc quæ ſequuntur confeſſus eſt.

Harti confeſſio de interpretandi *Pii Quinti* Bulla.

Bulla Pii Quinti *in Regiam Majeſtatem emiſſa, ab hujus Regni Catholicis, pro firma, rata, & legitima habetur, ſuaque in vi permanet, & propterea per eandem cuivis Reipub. civi licet, ut à fide in Principem & Patriam, cum volet, deſiſtat, licet in quibuſdam, quæ propriè cives attingunt, immutetur nonnihil. Nam cum in ea Bulla præceptum ſit omnibus, ſine exceptione, ne quis eorum Reginæ pareat, qua de Eccleſia ejecta & regno illi erepto, omnes obedienter illi parentes in eaſdem execrationis pœnas cum Principe ipſa labuntur, quod videtur dupliciter civi periculoſum eſſe (nam ſi parent Principi à Pontifice execratio imminet, ſi non parent, ab illa periculum naſcitur, ut utrinque civis irretitus ſit) Pontifex igitur hoc periculum Bullæ ſuſtulit, permiſſo, ut cives omnes liberè & impunè Prin-*

Principi pareant, reſtinctè tamen, hocque aſſumpto, ut hanc, cum velit, ſententiam revocet.

In iis igitur quæ diximus, ut certi aliquid ſtatuatur, ne in immenſum creſcat volumen, inter omnes tam foris quam domi conſtat, famoſos illos & venenoſos libellos, qui tot in linguis ſunt perſcripti, ſimulque convitia illa, quæ in Regum & Nationum aures quotidie infunduntur, hoc eſt, infinitam multitudinem civium, ob religionem ſolam, verumque Dei cultum, non propter proditiones, aut turpes conſpirationes necatam eſſe, ex eodem vanitatis, & impudentiæ fonte fluxiſſe, & ad defendenda hæc proditionum ſcelera, liquido tendere. Utque omnia luctuoſius ante oculos proponantur, nomina ſuorum cæſorum, numerumque libris ſuis intexunt, qui conjecti in unum cumulum, in viginti quinque integris annis, numerum ſexagenarium vix attingunt. Obliti prorſus, vel impiè potius ſpernentes, Reginæ *Mariæ* temporibus, quæ annos quinque vel paulo plus compleverat, quam tetrè, quamque crudeliter, ſævitum ſit, quantaque virorum, Mulierum, Puellarum, & Adoleſcentum, tam Fame quam

Omnes famoſos libellos in Reginæ & regni Majeſtatem mendaciſſimos.

Quantum diſcrimen inter hos pauculos, & tam infinitam Mariani regni ſtragem.

aliis tormentis, facta ſit ſtrages, ut quadringenteſimum numerum facile ſuperarint: omiſſis iis, qui in cuſtodiis, & carceribus barbarè ſunt trucidati. Quorum quidem viginti, ex Pontificibus, præſidibus, & magiſtratibus Eccleſiaſticis, turpiter erant flammis cremati: mulierum item ſexaginta: adoleſcentum, puerorum, quadraginta. Atque hoc in loco, illud nulla oblivione ſepeliendum, ſed cum flagitioſiſſimæ feritatis dedecore ad omnem poſteritatem tranſmittendum, mulieri cuidam prægnanti in ignis pyro poſitæ excidiſſe ex utero infantulum, vivum, & ſpirantem, eumque carnificis cujuſdam cuſpide confoſſum, & transfixum, in ignem denuo projectum, & contortum, unà cum miſerrima matre exuſtum eſſe. Execrabilia crudelitatis exempla, & maximè tyrannicis temporibus nunquam exæquata. Atque horum quidem juniores qui tormenta illa pertulerunt, tam viri, quàm fœminæ, quod non indignè à Chriſtiano obſervandum eſt, nullam unquam, ſive in Baptiſmo, ſive in Confirmatione, religionem aliam profeſſi ſunt, neque auditu quidem aliam ullam perceperant, vel quoquo modo guſtaverant, quàm hanc eandem, quam in igne & flammis teſti-

teſtificantes, tanquam veri martyres, de vita diſceſſerunt. Rem magis in ſimplicitate Chriſtiani animi, non in eloquentiæ nitore deplorandam, quam neces perpaucorum rebellium, qui tamen iidem ſi triginta expleverunt annos, eandem, tam in Baptiſmo, quam in reliqua ætate, religionem profeſſi ſunt & continuabant, quam nunc tam improbè tamque acerbè impugnant. Sunt & alia quædam in quibus *Mariani* regni martyres, ab iis veſtris paululum diſcrepant. Etſi enim illi, in iis religionum opinionibus perſtiterunt, quas in Baptiſmo profitebantur, & ad quas per reliquam ætatem ſuam inſtituebantur, morientes tamen nec Principis Authoritatem oppugnabant, nec ejuſdem hoſtibus unquam adhæſerunt, nec civiles motus, conſpirationes, vel arma moverunt, nec ſeditionum ſemina ſpargebant, nec à Principis fide & obſervantia quenquam deduxerunt, quæ quidem omnia contrariò fiunt ab iis, qui cum pontificatu Romano, tanquam ſatellites in ipſius fidem jurati, ſe conjunxerunt.

Quocirca, ſi æquis hæc lancibus perpendantur, minimè dubium erit, quin omnes boni cives jam anteà intelligant, ſi qui autem mobiliores ſunt aut incon-

ſtantiores, nec prorſus tamen adhuc à ſeditioſis abducti, poſthac ſint magis intellecturi, quam turpè ſit, à vero Dei timore & cultu, ad quiſquilias & fæces ſuperſtitionis deduci. Nec vero illud, ut ſpero dubium eſſe debet, quin omnes Nationes & Gentes, in primiſque Imperatores, Reges & Poteſtates omnes, qui ſtabilitis ſibi regnis & principatibus ſuis, ſive per ſucceſſionem, ſive per Populi aſſenſum, hoc perſpecto & cognito quod eſt ante oculos, omnia nuper Reginam noſtram eo animo ſuſcepiſſe, ut ſe regnumque ſuum contra vim & imperium tueretur, arma & ferrum hoſtibus extorqueret, civiles conſpirationes ſupprimeret, à perditis & domeſticis latronibus excitatas: quin de Reginæ noſtræ rebus geſtis, tanquam ſuis, judicium ferentes, adjudicaturi ſint, nec convenire quoquo modo Pontifici Romano, qui divi *Petri* ſe in eo Pontificatu hæreditarium ſucceſſorem nominat, ſeu producat fines ſuos longius, & totius ſibi Chriſtianæ Eccleſiæ monarchiam aſſumat, nec in Pontificiam ullam authoritatem, faſtum hunc intolerabilem cadere, primum, ut per Bullas ſuas in rebellium favorem perſcriptas, cuiquam conſecrato principi regnum eripiat, tum, ut cives in Reges ſuos armet,

Admonitio ad omnes transmarinos Principes.

met, ut ab impietatis & violatæ jam fidei periculis eoſdem ſtatim liberet, ut fideles cives, quod principibus ſuis pareant, de Eccleſia exturbet, & tanquam membra corrupta abſcindat, poſtremò, ut ipſe, in eos Principes, qui impetum nullum unquam in illam fecerant, legiones & exercitus ſuos ducat, & in acie exponat. Hæc autem tragica ſi poteſtati hujus tyranni permitterentur, tum & illa ſequerentur confeſtim, ut nullum imperium, regnum, principatus, provincia, urbs, vel pagus etiam à quoquam poſſeſſore diutius teneretur, quàm idem hic, homo terrenus, oſſibus, nervis, & carne conjunctus, ſedens tamen ut intonat, in *Petri Sella*, tanquam Epicureus Deus, pro arbitratu ſuo, abſq; ullo divino vel humano mandato, eadem cenſuerit ab iiſdem eſſe poſſidenda. Quam authoritatem, Dominus Dominorum, Dei viventis filius Chriſtus Jeſus, ſolus redemptor & ſervator noſter, ſolumque Eccleſiæ ſuæ caput, dum humanitus in terris viveret, ut liquet ex Scriptura, unquam ſibi aſſumpſit. Nec verò à Divi Petri, à quo locum & authoritatem ſuam deducit, ſcriptis, ritibus, vel conſuetudinibus ejuſmodi quid expiſcari licet: ne à divo Paulo quidem qui tamen gentium erat Apoſtolus hujuſmodi quid exempli proferri poteſt.

Pontificatus Romani Monarchia, nec per Chriſtum nec Apoſtolos *Petrum* aut *Paulum* confimata.

Sed con-

contra potius multò, tam in Evangelii hiſtoria, & Apoſtolorum ſcriptis, rebuſque geſtis, quam in reliquis divini verbi libris & partibus eluceſcit perſpicuè, obſervantiam fidemque adverſus legitimos Principes præceptam ſemper eſſe, imprimiſque in Reges nominatim, idque tam præciſè, ut nullus planè exceptus, ſicut Paulus ad Romanos ipſos luculentis verbis exprimit. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſit ſubdita.* Cui præcepto, Divus Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus Pontifex, Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Monachos & religioſos omnes devincit ſine exceptione, ſententiæ vero & opinionis Divi Petri à quo Pontifices Romani authoritatem ſuam derivant, quod poteſt gravius teſtimonium, aut quæ conjunctior interpretatio fieri, quam ipſe verbis ſuis, tanquam publico præconio, edicit? *Proinde ſubjecti eſtote cuivis humanæ traditioni propter Dominum, ſive Regi, ut qui ſupereminet, ſive præſidibus ab eo miſſis.* A quibus Apoſtolorum principibus, imprimiſque ex eo, quod Chriſtus perennis Dei Filius, Redemptor noſter ſolus, & omnis veritatis Fundamentum, eidem Petro & ſociis ſuis Apoſtolis divinitùs inſpiravit, *Reges gentium dominantur, vos autem*

Rom. 13. 1.

1 Pet. 2. 13.

Mat. 10. 25.
Luc. 22. 25.

autem non ſic, perdiſcant iſti Pontifices odioſiſſimi, hunc faſtum, & inſolentem juriſdictionem, quam in Monarchas Reges & Principes uſurpant, piè deponere, ſimulque paſtoricio ſuo munere in paſcendis ovibus crebrius, & diligentius defungi: ſicut Petro ipſò ter in ictu oculi præceptum eſt. Paſce oves meas, unáque præcisè eidem Petro injunctum, ne gladio quoquo modo uteretur, ut ex illo loco perſpicuè liquet, *Converte Gladium tuum in locum ſuum*, ſeu *mitte Gladium tuum in vaginam.* Matt. 26. 52.

Quæ diſciplinæ & præceptorum forma, multa ſecula poſt Chriſti & Apoſtolorum mortes & ſepulturas, à multis Romanis Pontificibus piis & ſanctis retenta eſt, aucta, & communita. Qui ſacratam Chriſti doctrinam, piamque Apoſtolorum ſimplicitatem imitantes, vitam in iis ipſis tuendis, tanquam Martyres pii, reliquerunt, pluſque in Eccleſiam fructus attulerunt, magiſque fines ejuſdem & terminos vel centum annis extenderunt, quam ii procerum illorum ſimplicium glorioſi poſteri, execrationibus, gladiis, & armis, vel quingentis annis prodeſſe potuerunt. Qui mos, à piis illis Pontificibus retentus & continuatus, ad *Hildebrandi* tempora viguit, *Gre-*

Hildebrandus primus movet arma contra Imperatorem.

Gregorium septimum, qui anno 1074. vixerat primusque tyrannicam hanc pontificii loci in Principis Jurisdictionem, sibi arrogabat. In quam eandem *Pius Quintus* recens ab hac ætate furiosè irruit, ab ejusque exemplo *Gregorius* decimus tertius in eandem invasit, ut exempli fortassis nescio quid relinqueret. Cum enim *Gregorius* septimus anno 1047. vel non multò secus, sumpserat sibi admodum insolenter, ut *Henrico* 4. potentissimo tum Imperatori, Monarchiam & Imperium eriperet, idem nunc, ut videtur, imitatur *Gregorius* decimus tertius, dum parat, & molitur quàm simillimam fraudem, & vim, *Henrici* 8. potentissimi Regis hæredem & filiam *Elizabetham*, Reginam nostram, & virginem, quæ tamen proximè, & solum à Deo, regna sua, & ditiones tenet, jure, & conditione ut quam optima. Ut autem in hoc *Henrici* exemplo, principibus omnibus, eorumque consiliariis, perspicuè eluceſcat, quos eidem *Henrico* succeſſus pro clementia sua, Deus dederit quantumque eundem, contra arrogantissimum *Hildebrandum*, adjuverit & auxerit in historia. Quo tempore, *Hildebrandus*, hoc est, *Gregorius* septimus, conabatur hanc *Henrico* maculam & injuriam inurere eumque, de imperio dejicere,

ſicere, Rodolphum eodem tempore fuiſſe quendam, perhonoratum & nobilem, *Renfeldienſem*, ut fertur, Herôem, qui ab eodem *Hildebrando* incitatus, ut in Imperium invaderet, titulumque & nomen Imperatorium uſurparet, idem non multo poſt, victus ab *Henrico* iſto Imperatore, fuſis & conciſis copiis ſuis, abſciſſaque dextrâ dum pugnaret acriùs, quem caſum peracerbè tulerat, multaque in Pontifices quoſdam queſtus eſſet, qui Pontificis Romani nomine, id illi conſilii dederant, ut arma contra *Henricum* legitimum ſuum Imperatorem ferret, adjecit in extremo, dextram quæ perierat, eandem illam eſſe, qua Imperatori ſuo inviolatam fidem & obſervantiam ſpoſponderat, eoque, quod defeciſſet à fide ſua, hanc in ſe vindictam juſtè ab immortali Deo repetitam eſſe. Simulque in Italiæ finibus convocato conſilio publico, effecit idem *Henricus*, ut *Gregorius* de Pontificatu ſuo totoque pontificali inſtrumento, deponeretur: ad Exemplum *Othonis* Imperatoris, qui *Johannem* Romanum Pontificem, propter multas fœditates & crimina ſua, pontificatu ſuo paulò anteà ejecerat. Idemque conſilium jam antea ſecutus

Cœleſtis Dei judicium contra Imperatorem falsò & injuſtè à Pontifice Romano inſtitutum anno. 1074.

Idem *Hildebrandus* primus *Gregorius* 7. de ſede Pontificali dejectus per *Henricum*. 4.

tus eſt Imperator *Henricus* Tertius, non multum ab anno 1047. dejectis perexiguo tempore, & omni pontificia authoritate mulctatis, tribus pontificibus *Silveſtro*, *Benedicto*, & *Gregorio* ſexto, quod avarè nimis, mundanis ſe negotiis emiſcuerant, in Regeſque & Principes extraordinaria authoritate abuterentur. Multa poſſum exempla huic loco aſpergere recentioris memoriæ, ut Imperatoris ipſius Majeſtati, & ſacrati Imperii principibus, expreſſis veſtigiis eluceſcat, ſicut *Henrici* Quinti, ſicut *Frederici* primi, ſicut *Frederici* ſecundi, ſicut *Ludovici Bavarii*, qui cum Imperatores omnes eſſent, & ſummis dignitatum titulis excellerent, à pontificia tamen hac ſentina, non ſolum Bullis, & ſcitis ſuis venenoſis, ſed etiam armis & ferro oppreſſi, & ad ſummas calamitates præcipitati; maximis ſunt, in extremo ruinis involuti. Nonnulloſque alios Chriſtiani territorii, Reges & multos Potentes, per multa ſecula regis è ſtirpibus natos, pari injuria perſequentes, pare ad exitus perduxerunt. E quibus ip ſis intelligi debet, hanc immenſam & infinitam tyrannidem pontificum Romanorum, appetentium fœdam in Reges & Principes invadendi, ſummamque in re

Henricus. 5. *Fredericus.* 1. *Fredericus.* 2. *Ludovicus Bavaricus* Imperatores.

gni

gnis & principatibus eripiendi, libidinem, ortam è tetra illa bellua *Hildebrando*, ſine ullo ſacrorum teſtamentorum exemplo, manaſſe poſtea latius, nec adhuc intra fines & terminos ſuos conſiſtere. Exitus tamen horum & eventus, ſi quales fuerint, conſideremus, & præteritis temporibus intelligemus execrabiles fuiſſe, & propterea nec dubitandum quidem eſſe, quin ſimiles expectemus in futuris.

Quæ cum ita ſint, quam optabile eſt, ſi alii Chriſtiani territorii Reges & Principes, his tyrannicis viribus læſi, æquum eſſe ſtatuunt, ut contra feros hos impetus, ipſi ſe, ditiones & regna ſua teneantur, & in eodem exemplo, eandem Reginæ noſtræ libertatem poteſtatemque permittant, non modo licitis modis tuendi ſui, ſed & Imperatoriæ etiam Majeſtatis, cæterorumque ſacrati Imperii principum, Regum item & Nationum, præſidia, vires & opes implorandi, ut tam luctuoſam cauſam, contra tantam barbariem, conjunctis viribus defendant potius, quam vel deſerendam à ſe, vel à pontifice Romano, impugnandam ſtatuant. In primiſque cum Regina ſit inuncta, à civibus accepta, conſecrata & coronata, ipſam tenens Regiam ſedem, hæres

Quod externis principibus in ſuis regnis licet, idem & Reginæ *Angliæ* in ſuis finibus.

hæres magni & invicti regis, regium etiam nomen & sellam multos per annos teneat, eaque æquitate civibus, populis, & nationibus multis imperet, ut de cœlo demissam sibi ad regendum divinam Principem existiment, & propterea eo cultu honorent, eaque in pace & observantia vivant, excepta tamen fæce illa & sentina perpaucorum latronum, in quorum memoriam tam sæpe incurro, qua etiam scabie & alia sunt regna infecta permulta, ut nihil videatur ad tam divinam felicitatem addi posse. Quod xxv annos integros continuatum, ac à transmarinis interim & hospitibus multis animadversum, eoque ipso paulò fit inter nos illustrius, sic ut maximi Christiani Reges nullam sibi factam injuriam putent, si fortunæ eorum cum ejusdem fœlicitate comparentur, quidam etiam rectè secum actum existiment, si inferiore etiam in gradu collocentur: quid est, quid est inquam, cur omnes potestates Christianæ non modo tuendum sibi in Regina nostra tam expressum divini judicii exemplum, sed & suspiciendum quodammodo & eximio quodam cultu venerandum sibi proponant? Licétque recentibus iis temporibus permissum sit pontificibus Romanis, tam ab Imperato-

re

re ipſo, in regnis & ditionibus ſuis, quàm à Galliæ & Hiſpaniæ regibus, in ſuis viciſſim finibus, ut extraordinariam hanc & barbaram planè juriſdictionem Pontificum, modum tenus & quandam ad formam, retineant. In quo tamen ipſo, permulti Chriſtiani principes ab iis regibus hodie diſſentiunt, quem item faſtum, *Gregorius* Magnus, ejuſque ipſius ſedis pontifex & contempſit multum, & titulum ipſum, tanquam impium, plenum ſceleris, certumque Antichriſti prænuncium eſſe dixit: illud tamen, tam in iis regnis quæ paulò antè nominavimus, quàm in noſtro, cæteriſque Chriſtiani ſoli fere omnibus exploratiſſimum eſt, pervetuſtis legibus, inſtitutis, ſcitis & ſanctionibus pragmaticis, tam in Hiſpania, quàm in Gallia, hanc pontificiam authoritatem non modo crebro impugnatam, ſed & radicitus evulſam eſſe: campus magnus & largus, in quo juris periti omnium nationum liberè excurrant & ingenia ſua multum exerceant.

Pontificatus univerſalis, titulus verus Antichriſti prænuncius.

Nec verò multum intererit, ut ut Pontificii juriſperiti, quos Canoniſtas appellamus, propugnatores illius ſedis acerrimi, de hoc genere toto bullarum, execrationũ, & reliqua hac ſive mercatura, ſive proluvie ſtatuunt, aut quæ ſimplicium animis to-

nitur ad confirmandas has nugas immittant, cum Imperatores veteres, Reges & Poteſtates omnes, in iis rebus, quæ poſſeſſiones, hæreditates, fundos vel juriſdictionem minimam ſuam attingunt, licet eædem in litibus parvarum civitatum nonnunquam & pagorum, aut fortaſſis in diſponendis Pontificatibus & Monaſteriis verſarentur, nihil tamen harum nugarum extimiſcebant unquam, nec in tuendis bonis & fortunis ſuis, unquam recuſabant, contra hos Pontificios impetus, ſe, vireſque ſuas libenter & facilè opponere, & ſine labe conſcientiæ & ſine ſtatus ſui metu. Hiſtoria plena eſt exemplis, maximeque in hoc genere abundat Gallia. Ut noſtris item publicis tabulis apertum eſt, Reges & proceres regni noſtri, cruentam hanc pontificiam authoritatem, acerbiſſimis pœnis, tam ſæpè, tam facilè, & tam fortiter, non ſolum devinxiſſe, ſed etiam repreſſiſſe, ut genere ipſo pœnæ, quæ ſive peculatus, ſive bonorum direptio & publicatio dicitur, quod eam habet vim ut rectè ſic appellari poſſit, quod barbaro nomine *Præmunire* dicitur, omnes illæ greges comitatus Pontificii, præſules dico, antiſtites, & initiatos omnes, intimis in animis & ſenſibus ſuis exterrerentur, ut

ut in recenti exemplo Cardinalis *Thomæ Volſeii* liquido eluceſcit. Sed quid opus eſt vetuſtioribus, cùm recente memoria, & hac ætate noſtra conſtet, potentiſſimum Imperatorem *Carolum* Quintum, *Philippi* Regis qui nunc vivit patrem, exercitus & ſigna ſua convexiſſe Romam, eamque foſſa & vallo ſepiſſe & diripuiſſe in extremo, ſpretis & neglectis Pontificiis Bullis & execrationibus omnibus, factis item captivis *Clemente* ipſo, qui erat Pontifex maximus, & è Cardinalium comitatu triginta tribus, omnibus in arce Adriana captis & in cuſtodia menſes ſeptem retentis, donec facta pactione, maximis & innumerabilibus ſummis ab Heroe *Hugone Monſtadienſe* nobile Hiſpano, & *Marchione Guaſtonenſe* redempti, ad priſtinam libertatem reſtitui ſint. *Clementi* Pontifici maximo redemptio. 400000. ducatorum aureorum vel paulò potius ſupra illam ſummam impoſita. Cardinalibus, amplior aliquanto injecta pecuniæ ſolutio. Cum ii etiam ipſi captivi, in eadem arce Adriana non multò antè obſiderentur à vicinis & ejus territorii proximis Colonienſibus, eoque perducti, ut omnibus Colonienſium poſtulatis & mandatis aſſentirentur. Quid de Gallorum Rege recentis memoriæ *Henrico*

Roma direpta.

Captivus Pontifex Romanus cum Cardinalium Collegio. 1527.

Henrici ſecundi Gallorum Regis in Romanum Pontificem edicta. 1552.

rico ſecundo claro & potente principe ſentiendum eſt, hujuſce Regis *Henrici* qui nunc vivit patre? num Bullas vel gladios Pontificios extimuit? Cui orta cum pontifice controverſia, quòd in quoſdam immunitates & libertates Regias pro more ſuo, Pontifex invaſerat, non ſolum animosè & regiè Pontifici reſtitit, edictis, decretis & legibus multis in eam ſententiam promulgatis, ſed fructus etiam Pontificios annuos, qui in Gallicis finibus colligebantur, invito Jove Mercurio admodum comminuit. Quid *Philippus* Hiſpaniæ Rex, qui nunc regnat, quo in pontificem animo fuit tum, cum miſſo in Italiæ fines exercitu, quem Dux Albanenſis eò comportabat depopulatis agris, expilatis civibus, cæſis item multis deformatis hortis & pomariis, exuſtis circa urbem amœnis & delicatis ædificiis, vaſtitatem quandam omnibus rebus afferret, urbemque ipſam vallo & foſſa cingeret, nonne ſuſtulit omnem dubitandi locum quam nihili pontificiam authoritatem, quam nihili quiſquilias Romanas fecerit? Nonne terroris plus incuſſit brevi tempore Pontifici, quam omnes Bullæ & execrationes longo poterant repellere? Itidemque *Maria* Regina Auguſtiſſima principis noſtræ nuper defuncta ſoror, nonne idem exem-

Dux Albanenſis Pontificem Romanum & urbem Hiſpanicis copiis obſidet.

Pontifex Romanus à Regina *Maria* & Cardinalo Polo oppugnatus.

exemplum in eundem pontificium faſtum ſecuta eſt? Quæ cum intelligeret pontificem Romanum in conſobrinum *ſuum Reginaldum Polum*, Cardinalem paulò infenſiorem eſſe, ob eamque cauſam ad minuendam *Poli* authoritatem, & ad inurendam exiſtimationi illius maculam aliquam, *Petôum* quendam feſtivi ingenii fratrem obſervantem in Cardinalium Collegium cooptaſſet, quem Cardinali *Polo* in hoc regno opponeret, & propterea ut omnia maturarentur ad exitum, nuncium cum purpureo galero & cæteris inſignibus novæ dignitatis Roma demiſerat, ut ad *Petôum* quam primum tranſportarentur, quid tandem iis cæremoniis, & tanto apparatu aſſecutus pontifex eſt? Nonne Regina facta de hoc apparatu certior, convocatis ſtatim Proceribus, conſiliariis & judicibus, mandavit ut libri legum aperirentur, ex eiſque quod maximè conduceret ſuæ Majeſtati & Reip. id ut ſine mora expediretur? Quo facto tranſmiſit Caletum, qui mandaret Romano nuncio, ne in regni fines accideret, neque Angliam verſus è Caleto moveret pedem. Cardinalis *Polus* cum omnia tamen adhuc ſtomacharetur pontifex Romanus ac nubes & tonitrua minitaretur, ſpretis omnino iſtis quiſquiliis in ſella ſua quievit. *Petôus* item *Petrôus* frater mendicans.

pro more ſuo decurrit urbis plateas ſine galero, de quo tam acerbe pugnatum eſt, ut egens frater & quibus poterat ſtipem excutiens: animoſa contra Pontificem in Regina impugnatio, eaque de tam abjecta galeri lite cum tanto Pontifice ſuſcepta. In quo ipſo, maximum Regem Avum ſuum, *Henricum 7.* Regina imitata eſt, qui cum controverſiam quandam cum Pontifice alumineam haberet, non minus prudenter obtinuit eandem contra Pontificem, quam conſtanter & graviter retinuit. Ut facilè poſſit intelligi principes quoſdam cum hæc ferant Pontificia onera, uſque eò tamen & hoc quidem in genere certoſque ad uſus ferre, ſi quidem hæc eadem vel proſint ſibi regniſque ſuis, vel certè ſi nihil obſint. Eò vero ſi Pontificius faſtus, vel avaritia proceſſerit, ut vel in fundos cujuſquam principis irruant, agros, territoria imminuant, vel ſeditioſos cives in eoſdem principes arment, vel quoque modo animent, tum quidem omnia illa inſignia Pontificia Bullæ, execrationes, Eccleſiaſticæ ſententiæ, maximéque ſolennia, ut appellamus, illa *Anathematica*, *Petri* claves, & duplici acie bipennis, nimbique illi caliginoſi omnes, qui pontificia fulmina & tonitrua minantur, hæc inquam omnia

Chriſtiani Principes non ferunt Pontificem Romanum hæreditates ſuas invertere, licet permittant aliquando in cives ſuos authoritatem juriſdictionis ſuæ exercere.

omnia, tantum ad tuendas Pontificias injurias valent, quantum in unoquoque principe vel virium eſt, vel animi, hoc eſt, non permiſſurum principem quenquam, quantum quidem in ſe eſt, quin hanc à ſe quàm longiſſime pellatidam maculam, & labem eſſe ſtatuat.

Nunc verò cum hic idem pontifex pro facultate & impetu ſuo omni conatus ſit, quod innoteſcit omnibus, Reginam noſtram è regnis ſuis dejicere, deturbare, iiſdemque injurioſiſſimè ſpoliare, cives ab illius fide & obſervantia abducere, ſeditiones perditas in eiſdem regnis ſpargere, itemque incenſis noſtri populi animis, militem ſuum tam armis, quàm reliquo militari inſtrumento omni inſtructum, in fines regni noſtri immiſerit, ut hoſtiles illius ſpiritus & impetus undique eluceſcerent, poterit ne hic idem *Gregorius*, vel poſteritatis ſuæ quiſquam, tam temerè ſperare, ut Auguſtiſſ. Princeps confirmata ſtabilitaque in Angliæ & Hyberniæ regnis, tot iiſdem regnis annos perfruens, quot quatuor ſimul Pontifices Romani vix compleverint, tanto etiam civium ſtudio, amore, viribus, ac fide communita, nullam item ſuperiorem poteſtatem iis in regnis ullam agnoſcens, niſi præpotentem ſolam æter-

ni Dei dextram, poterit ne, inquam, quiſquam pontifex ſperare, ut in hac omnium rerum affluentia recuſet vel timeat Regina noſtra, hos conatus pontificios, vel legibus ſuis, vel ferro etiam ſi erit opus diſturbare ac evertere, ejuſque milites qui poſſeſſiones & agros noſtros populantur, vel gladio vel Martis alea trucidare, vel cives ſuos qui à ſua fide ad Pontificiam defecerint, pro regni more ex publicis legibus mulctare? Nec verò illud dubium eſſe debet, ut ut hic Romanus Deus, ſummo in ocio & ſacrata in ſella ſedens Romanæ, triplici item corona redimitus, vel alius hujus faſtus & pompæ procurator aut fautor quivis, hæc tam tetra & tam horribilia ullis in Chriſtianis territoriis renovaverint, quin perennis Deus, omnium Regum Rex, quem Regina noſtra ſimplici ſpiritu veroq; cultu in ipſis animi mentiſq; fibris veneratur, quenq; tutorem & defenſorem ſuum ſolum omnibus in cauſis ſuis agnoſcit, cujuſque leges unà cum æterno æterni filii ſui evangelio per vitam ſuam omnem tutabitur, omnia ſit cumulatiſſimè allaturus, quæ ad cuſtodiendam conſervandamque chariſſimam Ancillam & ſervam ſuam *Elizabetham* contra terrores quoſcunque neceſſaria fore videbuntur.

Æquum eſt ut Regina noſtra Pontificiam vim ſua item vi repellat.

Cumque

Cumque ſeditioſi quidam emiſſarii tubis ſuis in multorum aures falsò ac turpiter inflaverint, propter religionem quoſdam ex noſtris eſſe cæſos, quos pro martyribus in hiſtorias ſuas intexunt, ut poſſunt ſi libet, & iis martyribus ſuis miſerrimi nuper demortui Herôis Deſmondenſis defectionis Hyberniæ primi authoris, corpus truncatum & ſine capite adjungere. Qui nuper correpens per ſolitudines ſine præſidio & ope, tanquam errans tenebrio, & in Hybernici coloni manus delapſus pro ſua vetere feritate ab eodem trucidatur, amputato confeſtim ex gentis more capite. Mors tam perfido proditore, turpique ſicario non indigna. Atque hic commemorare libet, principes quidam hujus conſpirationis & cum Deſmondenſe ſceleratè confederati, quos ad exitus morteſque devenerint, quibuſque exemplis perierint. In primiſque à *Sandero* ordiamur pontificio in Hyberniam legato, qui poſt multas illas proſperitates & prioris vitæ ſplendores, tandem per Hyberniæ feræ nationis montes & juga decurrens, & in omnium rerum egeſtate ſumma poſitus, afflatus ad extremum miſerrimæ phreneſis veneno, mentis expers moritur. Hunc quidem & in eodem exemplo paulum jam anteà præceſſerat *Jacobus Fitzmauricius*

Additamentum ad Pontificium martyrum catalogum,

Exitus Deſmondenſis. Comitis.

Exitus *Nicolai Sanderi.*

Exitus *Jacobi Fitzmaurícii.*

mauricius, perdito illo gladiatore *Stuclio* solum excepto, primus Hybernicæ defectionis author, & in Aula Romana pro venefico, veteratore, & proditore impio notus, qui à nobili adolescente Hybernico dum territorium patrium defenderunt, quod exurere proditor cupiebat, primo ictu interficitur. Nec omittendum mihi hic quartum hujus societatis exemplum, *Johannes Desmondensis*, detruncati jam antea Herôis frater, cruentus & infidus proditor & singularis familiarium suorum percussor & homicida, qui tanquam lupus deprædans, inter nemora & montium juga apprehenditur, & pro nationis usu truncatur capite: abundanter contra hos casus, ut sibi persuaserat copiosè munitus, tam per Bullas Pontificias, & consecratum Dei Agnum, quas à se nugas nunquam dimiserat, quam armatus insigni annulo operosè & affabrè in palam ejusdem annuli intexta gemma, ab ipsoque Pontificis, ut ferebatur, digito detracto, ut virtutis vires cumulatiùs augerentur: quæ tamen omnia quàm nihil ad producendam vitam afferant, serò miser senserat. Atque hi erant Hybernicorum proditorum fatales exitus, ut ne suspicio quidem ulla maneat hujus tam perditæ societatis quem-

Exitus *Johannis Desmondensis.*

quam

quam jam nunc ſupereſſe. Opus cœleſte & ipſo Dei numine ſolum dignum. Et quia rabulæ iſti artificioſi odorantur omnia, numerum ut illum ſuum horum martyrum cumulent, his potuerunt, ſi velint, recentis exempli furioſum juvenem Varuicenſem, *Somervilum* quendam apponere, qui dum pararet Reginæ inſidias mortemque per vim inſtrueret, cujus vitam ſemper æternus tueatur & perennis Deus, in via & itinere deprehenditur, nec ſceleris ſui abnuit quicquam eoque ſe fatetur perductum, cum ſponte ſua & perditis ſuorum conſiliis, tum legendis famoſis quibuſdam libellis, nuper in Reginæ Majeſtatem ſcelerate perſcriptis & publicatis. Cujus hic horribilis exitus fuit, ut in ſumma deſperatione, cingulo cervicibus devincto, ipſe ſe ſtrangularet. Luculentum Dei judicium in eos, qui in ejus unctos vim & manus afferant. Sed ut hactenus annos multos Reginæ Majeſtatem, idem Deus ab iis caſibus ſecuram & liberam conſervavit, ſic ut cauſæ nihil ſuperſit, quin protegente Deo cum Rege David canat verſus Pſalmi. *Jehova petra mea, propugnaculum meum, ac liberator meus, Deus fortis meus, rupes mea ad quem me recipiam. Clypeus meus & cornu ſalutis meæ.*

Exitus *Somervili.*

Pſal. 18. 3.

Utque

Proſpera Angliæ tempora manentibus Romani pontificis execrationibus.

Utque contra inanes hos terrores & mera infantum jocularia Pontificia fulmina, Bullas dico, execrationes, & reliquas illas ſordes, boni cives ſolatii plus geſtent perſpicuum ſit omnibus, quod liberè liquet, jam ab eo tempore, quo primum ad publica gubernacula princeps acceſſit, ampliore & ſecuriore in pace vixiſſe cives, majores ad numeros vireſque eoſdem excreviſſe, morbis item oblanguiſſe minus, opibus & divitiis firmiores fuiſſe, ipſum etiam terræ ſolum majorem fructuum vim & copiam peperiſſe, copiamque omnium rerum ad noſtram voluntatem affluentium uberiorem fuiſſe multoq; pleniorem, immiſſis quotidie in regnum & continuatis pontificis iſtis fulminibus, quàm jam anteà pervetuſtis illis & beatis temporibus, cum pontificiæ comprecationes, ſacrata libamina, indulgentiæ, beatitudines utrunq; durum verbum, molliendum tamen uſu, ad regnum hoc ſecundiſſimis votis & plenis velis perferrentur, ut planè ſit ſentiendum, execrationes ſuas turpiter à ſe profectas, in ſe ſuaq; ſecundo Dei numine reflexas eſſe: unaque de Auguſtiſſ. *Eliz.* ut vaticinari liceat, quod populo *Iſraelitico* de *Balaamo* in *Deuteronomio* dicitur. *Noluit Jehovah deus tuus auſcultare Balaamo, ſed convertit tibi Jehovah Deus tuus maledictionem illam, in benedictionem*

Deut. 23. 5.

ſionem tuam, appoſito ratio eſt, *eo quod diligeret te Jehovah Deus tuus.*

Hæc verò quæ dicta ſunt, cum eam vim in ſe & ſententiam contineant, æquos ut judices eo perducant, ut libenter & facilè ſentiant hæc omnia honeſtè, rectè, legitimè, & neceſſario ſuſcepta eſſe, quoniam tamen id poteſt fieri, ut nonnullis fortaſſis, qui legendis & credendis infamibus ſcriptis, vel in Pontificiam Monarchiam nimis propendeant, vel pari errore in veteribus opinionibus perſiſtant, adhuc non ſit factum ſatis, cenſui igitur, quantum res, & facultas mea ferant, omnia oculis ſubjicere, hæc quæ à Principe nuper ſunt geſta, nec ob religionem, nec ob pontificiam Monarchiam, nec ob Regiam ſuam authoritatem, ſed ob fœdiſſima læſæ majeſtatis proditioniſq; crimina cepta, inſtituta, & ad exitum perducta eſſe, repetitis & in memoriam revocatis illis rationibus, quas in antegreſſo rationis curſu ſtrictim etiam decurrimus.

Rationes quibus planum fit ob proditiones ſolum non ob religionem quenquam morti addictum.

Primum igitur negari non poteſt, quin liquot per annos Regia Majeſtas Pontificias has Bullas & execrationes toleranter pertulerit, nulla in reos ſumpta pœna, quod eadem cenſeret commentitia eſſe quædam, & vix digna lucubratione anicularum. Poſteà verò, cum cœptum eſt à quibuſdam,

Prima ratio

dam, propter hanc Principis lenitatem, eo in genere obſirmatius agi, de iiſdem tanquam de nunciis ſeu monitoribus impendentium malorum ſtatuit, ſimulque vetuſtas illas leges, & contra has feces antiquitùs præſcriptas, contra barbaros hos motus oppoſuit. Secundò, cum viæ ipſæ Bullarum & hujuſmodi ſcriptorum obſepirentur, adituſque difficiliores fierent, copioſè tamen, ſed tectè & ſecretò inferebantur in regnum, arroganterque in ipſis valvis & januis Palatii *Londinenſis* pontificis quod eſt propter Divi Pauli templum in media urbe ſitum, per calonem perditum tanquam per fœcialem pontificium ſunt affixæ. Quis igitur in tanto malo, hoc eſt, publicè denunciatis tanquam per fœcialem, inimicitiis, & indicto bello, quod item affectum eſt à cive in maxima regni urbe, & in ipſa Reipub. luce, durius ferat, ſi Princeps in tam perditum latronem, pro ſceleris atrocitate pœnam dignam ſanciendam ſtatuat. Atque hoc nimirum primum erat capitale crimen, in quod propter Romanos tumultus eſt animadverſum poſt initum regnum anno duodecimo vel paulò longius. Tempus probandæ patientiæ in Principe æquo judicii ſati plenum.

Secunda ratio.

Bulla *Pii Quinti* valvis *Londinenſis* Pontificis affixa.

Primum ſupplicium ob Bullam conſtitutum.

Tertio

Tertio, cum eripuisset se subitò Pontifex è sella sua pontificali & pulvinis purpuratis subriatior, & in Regnum nostrum offensior, temerèque verba in arma transferret, contra Divi *Bernardi* præcepta & monita, qui ad hujus Pontificis majorum quendam scribens, malè cum Ecclesia tum agi diceret, cùm à verbo ad ferrum summus pontifex descenderet, hoc est cum relicto pastoritio munere pascendi, præceps rueret ad hostiles impetus invadendi, quod expressis est verbis prohibitum, nobilitatemque regni nostri & plebem ad perfidiam & conspirationes perditas solicitasset, *Dathano* & *Abiramo* aptius quam Romano pontifici munus, iisque ipsis solicitationibus excitati mali cives, summis pro viribus suis omnia expleverant statim, quæ malitiosissimè poterant in Principem suam indignissiméque excogitare, metatis castris, atque explicatis in ordines & in aciem militibus, quis tandem sana mente & ingenio improbare poterit, si Regina, legitima Principis utens authoritate, illegitimos perditorum civium conventus, conatus, & hostiles impetus repressérit, iisque in principes authores sumptis pœnis, quibus in patrimoniis Ecclesiasticis suis & pontifex ipse pari in periculo suo uti

Tertia ratio.

Borealis rebellio

uti ſolet, quoque intra paucos menſes impellebatur, & ipſe ferè deſcendere. Hæc verò ſi quis Princeps Regnorum, ditionum & nationum poſſeſſor, tam tetro in genere tulerit, ut ſpoliari ſe à civibus malis patiatur, regniſque ſuis exui, minimè reſiſtens, ac virtute & mente deficiens, quis tandem tam vecordis Principis vel commiſeretur, aut quis non ſtatueret potius eundem dignum, qui non ſolum corona & regno, ſed vita etiam, ſpiritu, & capacitate, ob tantam vecordiam mulctaretur?

Quarta ratio.

Quarto, cum fuſis & deletis jam borealibus regni noſtri hoſtibus, perſpiceret adhuc etiam Regina, inveteratum hoc pontificium odium altiores radices agere, quod hujus ſceleratæ conſpirationis affines & reos omnes, qui fugientes caſtris iſthuc tranſvolarent, reliquamque regni noſtri fecem omnem quacunque jam anteà cauſa elapſam, munificè & largiter excepiſſet, eorumque permultos, veſte & apparatu perſonatos in utrumque regnum remiſerit, ut ad ſeditiones allicerent & urgerent plebem, ac vetera arma renovarent, ſtatimque cohortes & copias emiſerit ex Italiæ finibus, quæ tranſportarentur ſumptibus ſuis in Hyberniam, ne fruſtrà demiſſiſſe à ſe ſolicitatores illos

Impreſſio à Pontifice Romano in Hyberniam facto.

illos perditos videretur, ubi eædem copiæ cum auxiliariis quibuſdam Hiſpanis conjunctæ ſimul exponebantur, omni inſtrumento bellico inſtructiſſimæ & in marino ſinu diſpoſitæ, quàm poterant cautiſſimè firmiſſiméque ſe munierant, indicto ſine mora in Principem noſtram bello, & erectis Pontificiis ſignis, dubitare ne jam poterit quiſquam, etiamſi faveat Pontificiæ ſectæ eoque propendeat nimis, quid à Principe in tam luculento diſcrimine fieri debeat? Aut quid potius aliud conſilii dederit, quàm ut inſuſurratoriam hanc fecem, occultè & periculosè per omnes regni partes graſſantem, tranſlatitio item apparatu & pene gladiatorio, non ſuo veſtitam, quam primum apprehendat, ut eandem in Cuſtodias & carceres diſponat, habitiſque in eos quæſtionibus, ut ad confeſſionem criminum maturius perveniatur, reoſque execrabilis proditionis, tam confeſſionibus ſuis, quàm ſuorum teſtimoniis repertos, cur non juſtis pœnis devinciat atque mulctet, iis præſertim temporibus, cum exercitus & arma pontificia graviter Hyberniam infeſtarent, expectato etiam jam jamque ex Italia novo ſupplemento, tam ad Angliam quàm ad Hyberniam vexandam & oppugnandam?

nandam? Quibus periculis, ut maturè & suo tempore resisteretur, thesaurus infinitus impensus est, tam à Principe quàm à civibus, ut ab inito regno par à Principe summa ad nullos similes casus sit collata. Itaque quà perennis Dei summa providentia, quà clementissimæ Reginæ diligentissima vigilantia factum est, ut convicti per leges domestici proditores, justas pœnas luerent, viresque pontificiæ in Hybernia armis & viribus nostris cedentes, prorsus frangerentur, pauculis exceptis præstantioris gradus & notæ, eóque asservatis misericordiæ, quod & sectam illam fœdam libenter desererent, & permultum pœnituisset, quod ad tam turpem mercaturam, & ad tam sceleratos conventus se demisserant.

Copiæ Pontificis Romani in Hybernia devictæ.

Licétque iis punctis argumentorum, qui rationi fortassis & acumini parere solent, quibusdam persuaderi poterit, rite legitimeque huc delapsam Reginam esse, primum ut in rebelles & proditores vi & armis uteretur, tum ut hujus societatis affines & fautores omnes iis pœnis, quas præscripserant leges devinciret, postremò, ut omnem illam pontificiam sentinam in regna sua immissam, gladiis ac telis reprimeret: supersunt tamen & alii

Objicitur à Pontificiis qui cæsi sunt ob proditiones, nudos scholares fuisse & inermes,

alii quidam, nimis argutè & præcisè propendentes in pontificatum, quibus adhuc minus, ut audio, ſatisfactum eſt, & ſtomachantes nonnihil, aliquot tanquam rebelles eſſe trucidatos, gregem ſimplicem & innocentem, & ipſo vitæ genere literas profitentem, ut ſacerdotes quoſdam, *Seminarios*, *Jeſuitas*, qui non venerunt in hæc regna cum telis & armis, ut ſeditioſis auxilia ferrent. Ad quorum quidem ſublevandam ſimplicitatem, admodum artificiosè & in hunc ſenſum videtur hæc commiſeratio induci, ut conceſſo fortaſſis, quod contrarias religionis opiniones ſparſiſſent, quod contra leges publicas plebem inſtituiſſent, eſſe tamen pœnas multas leviores, quæ potius in hos miſeros, quàm capitales illæ expromerentur, multo fuiſſe optabilius. Quod quidem defendendi genus hanc habet vim, magis ut reprehendant ſalutarem puniendi ſeveritatem, quàm ut perditam illam fecem à ſordibus ſuis liberet. Ut propiùs igitur accedam, atque ut pedem pedi magis opponam, hanc ab iis lautis vel præfractis potius fautoribus rationem exigo, ſi quidem ſint ex illis qui rationem audiant, quid tum conducat fieri, cum Princeps, poſſeſſo diu & ſtabilito in fide & pace regno, primum occultis inſi-

diis, deinde in apertam vim erumpentibus perniciosè infeſtetur, eaque à domeſticis civibus labes ſit ſuſcepta, eoſque impetus hoſtis tranſmarinus defendat, proditiones nunciis & opimis promiſſis ut expleant ſcelera ſua incitet, perfidiam & defectionem civium chirographis ſuis confirmet, cumque hoſtis ille idem, hujus flagitioſæ conſpirationis author & Princeps, iis domeſticis viribus ſuas etiam externas vires adjunxerit, regnumque turpiter ac fœde vaſtaverit, nullum ne in hac lue civem, licet proditores opera & facultatibus ſuis adjuvet, licet hoſti illo tranſmarino pro omni obſervantia ſua pareat, pœna capitali mulctare licet, præter ſolum illum, qui vim & arma intulerit in patriam? Nulluſne civis licet ſit transfuga, licet ſit explorator hoſtium, eoque artificio multa in Principem machinetur puniendus eſt ut proditor, quod graſſaretur ſine telis & armis, deprehenſus tamen veſtitu alieno, ut magis Principi noceret, adjunctis etiam ſcriptis & literis ad hoſtes, in maximis itidem urbibus, caſtris, & quibuſcunque regni partibus in ipſa item Principis Aula petulanter obambulans, ut omnia quàm intimè perſcrutaretur, quid hoc homine faciendum eſt? Nonne proditor apertus

Multi ſunt proditores qui non portant arma.

&

& in patriam ſacrilegus? Quid? Nulluſne qui congiarium præbuerit, qui theſauris ſuis in Principem & patriam milites conduxerit, qui comeatus & ductus aquarum venenis corruperit, qui naves & munimenta marina inflammaverit, qui portum vada & foſſarum altitudines perſcrutetur, qui in murorum vallorumque vires, latitudines, altitudines, cæteroſque illos Reip. nervos curioſius inquirat, nullúſne horum, inquam, pro proditore cenſendus, quod cum telo non ſit deprehenſus, nec utatur armis? Equidem ut lis hæc aliquando componatur, ſic ſentio, nihil ab humana & erudita ratione alienius eſſe, quam non quenquam horum pro teterrimo hoſte habendum. Ad quod idem confirmandum cum multa valent, & afferri poſſent, tum præcipuum quendam redarguendi locum illud habet quod explementa ſint hæc omnia, & tam neceſſaria adjumenta, ut iis adjunctis, facilè ſit arma vel ſuſcipere, vel deponere. Sin perſeverent tamen, neminem eſſe hoſtem, neminem proditorem, niſi armatum, ne Judas quidem ipſe proditor fuit, qui fraudem animi oſculo falſo texerat.

Nunc autem illud reſtare videtur, ut excutiamus eorum ſimplicium res geſtas, qui finguntur à quibuſdam, ſolum

Collatio togatorum proditorum cum armatis proditoribus.

ut literatos deliquiſſe, id eſt, literas & doctrinam profitentes eoque videri fortaſſis aliquo in genere peccaſſe, ſed totum illud magis in verbis utque in oratione poni, quàm in ferendis armis, vel hoſtibus adjuvandis conſiſtere. Ut nullus igitur error maneat in verbo, quovis cenſeantur nomine, ut ſibi libuerit maximè, vel ut ſcholaſtici, vel ut præceptores, vel ut literati, vel ut *Seminarii*, vel ut Sacerdotes, vel ut *Jeſuitæ*, vel ut fratres initiati, vel ut Pontificii, vel ſi quo maluerint alio uti nomine, de eo certamen nullum erit. Nihil enim illis vel nomen, vel veſtis obfuit. At verò pruritus ille fœdus, in ſpargendis venenis in plebis animos, ut ad ſeditiones præcipites ruerent, nimirum hic ille eſt, qui & ejuſdem criminis reos eoſdem fecerit. In eorum perſonis hoſtile nihil conſiſtit: à præceptis tamen conſiliiſque eorum, arma civilia & ſumpta & continuata ſunt, illiſque invitis extorta. Ab hoc fonte, tanquam à Principe cauſa, illud manat publicum dedecus, omnia rebellium propoſita & conſtituta, eò ſolum excurriſſe, ut Reginæ coronam regnumque eriperent, ut ex pontificiis Bullis perſpicue cernitur. Inſtrumenta verò efficiendi, & tanquam opportunitates agendi, ab

iis ſeditioſis ſeminatoribus publicarum ruinarum, tanquam à mediis & adjuvantibus cauſis peti debent, ut ex occultis & myſticis inſuſurrationibus in plebis animos ſimulque ex perditis cum pontifice reconciliationibus confirmatur. Exitus verò horum ſcelerum & eventus, bonorum ſunt civium cædes: invadentium præda, ſi quid valere poſſent, quod Deus avertat, eſt nobilium exhæredatio, reliquorumque civium tam initiatorum quàm non initiatorum nefaria direptio: eorum tamen civium dico, qui ſubductis officii rationibus, tam ſacrato Dei verbo, quam Sacramentis, religioſis ſponſionibus, obſervantia & incunabilis ſuis, ſe obligatos ſentiunt, ſine ullius periculi exceptione, ut Auguſtiſſimam Principem, conjuges, liberos, familias, & uno nomine patriam omnem ſartam tectamque à malis omnibus, quoad poſſint & pro facultate ſua omni, conſervent. Nunc igitur hos excutiamus, imbelles & ſimplices, ut appellantur, ſive literatos, ſive togatos, ſive Sacerdotes, unaque diſcamus ab iis, cur patriam ſuam primo reliquerint? Deinde cur cum ipſis harum conſpirationum ducibus, ſive Romæ, ſivæ alibi uſpiam familiariſſimè vixerint, iiſdem criminibus infames, & luculentis veſtigiis

expreſſum eſt, totius ſceleris rei reſpondeant, cur occultis itineribus illapſi in regnum in latebris ſe & latibulis verſutè occultent, immutatis nominibus, inſignibus, & ipſa apparatus forma? Cur callidis & inſidioſis ſuis conſiliis, turpibuſque monitis plebem allexerint, ut Pontificios hos impetus, & nefarios conatus, tam præteritos quam futuros, aſſiduitate, ſtudio & opera comprobarent, eaque omnia ſe pro legitimos & ratis habituros. Cur tot cives à legibus patriis, à fide & obſervantia in Principem, ad Pontificias partes traduxerint, cur acerbiſſimum Principis & regni hoſtem, quemque norant jam anteà Reginam noſtram ſceleratis ſuis ſcriptis, quantum ab illo fuit, exhæredaſſe, cives in eandem rebelles & ſeditioſos incitaſſe, regnaque ſua hoſtilem in modum, armis & ferro invaſiſſe, tam impiè defenderint? Itemque à perſonatis iſtis & inermibus exploratoribus ulterius exquiratur, quid deprehenſi de *Pii Quinti* Bulla reſponderint, quæ ita perſcripta & publicata eſt, ut à Regina abjudicaret regnum, & cives ab ea deficientes odioſiſſimis ſuis chirographis, à violatæ fidei periculo liberaret.

Sex rationes quibus diſtinguantur togati & ſcholares à proditoribus.

Primò num ſenſerint & neceſſariò parendum iis Bullis eſſe, & ex earum authoritate

ritate à Principe quàm primum deficiendum? Secundo, num Principem noſtram cenſerent legitimam regni Reginam eſſe, contra quam in iis Bullis perſcriptum eſt? Tertiò, num licuit Romano Pontifici ex jure & legibus divinis, mandare Northumbrienſi & Veſtmerlandienſi Heroibus, primis borealis defectionis ducibus, cæteriſque civibus qui ejuſdem ſceleris affines erant, ut armati invaderent patriam, eámq; diriperent (quod ſimul eſt ab illis factum) vel *Sandero*, nativo civi, ſed fero & perdito ſacerdoti licite præcipere, ut ſumptis armis vexaret & vaſtaret Hyberniam? Quarto, num Romanus pontifex ſive domeſticos noſtri regni, ſive externos aliorum Principum cives, à jurejurando, fide, & obſervantia in Principes ſuos, ſumma cum impunitate, liberare poterit? Quinto, num rebellis ille Sacerdos *Sanderus* & proditor non minus infamis, jamque in tranſmarinis regnis errans *Briſtous*, rectè an ſecus Bullam hanc ſcriptis ſuis comprobarent? Poſtremò, quid faciendum cenſerent, ſi vel Pontifex ipſe, ſive quis à Pontifice inſtitutus irrumperet in regnum, ut idem diriperet, quibus ſe partibus adjungerent, & quo bonorum civium animos inflectendos eſſe ſtatuerent? quibus irretiti quæſtionib⁹, quæ utiq; veri

& falſi

falsi certissima sunt fundamenta, & fidem à perfidia perfacile distinguunt, isti inermes & literati proditores, nihil quidem volebant simpliciter & aptè respondere, quod in Rep. bene instituta cives boni nunquam recusarent. Qui ut recusassent, pro more regni nostri, & ex legibus respondere, cum eo ipso juste possent condemnari, non sunt tamen hujus pertinaciæ facti rei, sed prioris vitæ tam foris quàm domi in conspirationibus seditiosis consumptæ, & in lucem pro tribunali extracti, tot sunt proditionis & tam fœdis maculis conspersi, ut in neminem quidem vel horum, quos recensui paulo antè, vel in Judam ipsam qui item inermis erat, expressior ulla nota illustrioris sceletis possit quoquo modo imprimi. Nam personati isti, sive scholares, sive Sacerdotes, maximos usus summasque familiaritates, seditiosis illis cum rebellibus foris contraxissent, omniaque perdidicissent, quæ in cursu horum scelerum tractanda & suscipienda essent ex pontificiis mandatis, tum cum armis plena essent omnia, id est, in ipsa civilis belli flamma, secretò, & rectè relabuntur in regnum, ut pontificii exploratores, tanquam nuncii, qui ferrent & referrent omnia, simulque plebis animos præparent,

Trucidantur rei ob læsam regni Majestatem non ob Dei religionem.

rent, ut inſtructi eſſent ſemper & parati, ad conjugendas cum iis vires, qui aliundè & foris, ad invadendum regnum eſſent immiſſi, in ſpargendis identidem ſuperſtitioſis fæcibus minimè ocioſi, unaque infundentes in omnium animos perditiſſimas contra Principem patriaſque leges & jura, opiniones, inflammatis ad pernicioſos conatus malorum civium animis, omniumque omnes in partes inflexis & tentatis intimis ſenſibus, nihil ut ab iis vel pro principe, vel in principem fraudis, prætermiſſum videretur. Poſtremò, ut confecto volumine quodam, in quo nomina, vires, habitationes, & familias expreſsè perſcriberent eorum, qui parati ad defectionem, cum tranſmarinis impreſſionibus vires ſuas conjungerent. Nimirum hæc ſeditionis acta, hæc pontificia ſervitus, hoc juvandorum proditorum tam acre ſtudium cum foris tum domi contractum, hæc inquam illa ſunt, quæ tetræ proditionis reos hos fecerunt, non volumina, non libelli, non præcum formulæ, non feriæ, non Eccleſiæ Romanæ ceremoniæ, non conſecrata cæra, nec è Pontificiis quiſquiliis præterea quidlibet, ut concludi rectè poſſit, iis ſicut teterrimis proditoribus regnique hoſtibus, pœnas capitales impoſitas eſſe, licet

licet inermes, licet ſine telis ſint comprehenſi, nec quoquam unquam armati contra Principem proceſſerint. Jam verò ſi hic Epilogus, & tam diligens præmiſſarum rationum repetitio, linguas, ſpiritus, & venenatas voces non conſtringat, nec obſtruat eorum, qui tam fœdis opinionibus erroribus rapiuntur, ut ſceleratas conjurationes conſpirationeſque in Principem & patriam tueantur, armaque civilia comprobent, omnium rerumpublicarum ipſum venenum, hos præpotentis Dei æternis judiciis aſſervandos cenſeo, ut exitioſum tamen civium genus, nec ſibi magis, quam Reipub. noſtræ fatale, quippe cum oculos à luce, aures à veritate, à ratione mentem averterint, ut rectè in eos divinaſſe Pſalmus videatur: *Loquuntur mendacium, venenum eſt illis ſimile veneno ſerpentis, ſicuti aſpidis ſurdæ obturantis aurem ſuam.*

Pſal. 58. 5.

Quin lapſus etiam longius, niſi me retinuiſſem, ut piè igitur & Chriſtianè concludatur, ſi infidi iſti conjuratores & rebelles, uſque eò jam tandem commiſereri velint ſanctæ patriæ, ut paululum ruminent ſecum, quàm fruſtra tumultus iſtos hoſtiles commoverint, quàm fruſtra prodierint in aciem, quàm fruſtra pilis & gladiis ſuis depugnaverint, unaque quàm multi

multi ſuorum variis calamitatum generib9 conſumpti, ignominiosè perierint, quàm nulla cœpta, conſilia, inſtituta, vel propoſita ſua, ad eos exitus, quos ſperarent, pervenerint, ut nihil ſuperſit cauſæ, quin optima cum ratione & quàm primum, à tam perdito furore deſiſtant, & ab omni hac externa fraude piè ſe ac religiosè expient, ſique petulantes illi *Seminarii*, qui in tenebris errant & vagantur, pertimidi ſemper & ſuſpicantes omnia, in lucem velint & ſolem prodire, ad verum diſciplinæ ſcholarumque ſuarum uſum totos ſe immutantes, atque humiliter demiſſeque in Principem & patriam ſe gerentes, omiſſis ſimul ineptiis illis ſuis penè anilibus, itemque ſi cohors illa tota *Seminariorum*, quæ linguæ, facultatis, & ingenii ſui vires omnes, multos jam annos eò contulerit, ut probata, convitia & turpiſſima mendacia, perſcriptis libris in Auguſtiſſimam Principem, fœdiſſimè depromeret, ſi hæc inquam, retexta prioris vitæ tela, ad charitatem, obſervantiam, & fidem in Principem atque patriam ſe reſtituat, non ſolum hæc Chriſtianè & optabiliter ab illis fierent, ſed nec dubitandum quidem quoquo modo cenſeo, quin Auguſtiſſima, pro placabilitate mirifica & divina clementia ſua,

ſua, non ſolum avidè ſiſtat manus de reliquo, à civium fundendo ſanguine, quo remedio impulſa eſt ad ſe conſervandam uti, ſed & omne beneficientiæ genus, quod quidem in bonos cives à principe generoſa & potente proficiſci poterit, ſumma cum indulgentia cumulatè ſit & plenè collatura. Sin in prioris vitæ inveterato odio ſceleratè perſtiterint, tum quidem vota facienda, ut continuato regno, & ad Dei timorem, verumque ejuſdem cultum piè ſtabilito, quod divinitus jam diu factum eſt, quàm longiſſimè eodem perfruatur Regina, tam ad frangendos horum perditorum flagitioſos impetus, cum domi tum foris, quam ad tuendos conſervandoſque bonos patriæque amantes cives, in eoſque purè ſancteque ad veram Chriſti religionem inſtructos ſumma in pace, & quàm diutiſſimè regnet.

Sexcenta poſſent alia colligi, ad quamplurima Auguſtiſſimæ principis inventa, & publica munera exornanda, quæ quum ſancte à Majeſtate ejus, & ad communem regni diſciplinam prudenter ſancirentur, horum tamen *Seminariorum* infamibus libellis mirabiliter ſunt fœdata, & contagioſiſſimis turpificati animi ſignis inuſta. Sed illa, ut nunc quidem ſunt,

ſunt, miſſa facio. Hæc item quæ fuſius ſunt dicta, ut acta Reginæ noſtræ, tanquam in bono lumine, tam foris, quam domi proponerentur publicè, & ut teſtata expreſsè veritate, minus cum adverſariis haberemus negotii; hæc inquam, æquis judicibus, quorum permagnum numerum, & perilluſtrum fidem eſſe ſpero, ad Auguſtiſſimæ Reginæ noſtræ res geſtas aperiendas, in eo tamen duntaxat genere de quo jam diximus abundanter, ut confido, & uberrime ſufficient.

ESDRAS IV.

Magna eſt Veritas, & prævalet.

DE

TRINITY COLLEGE LIBRARY CAMBRIDGE

sunt, missa facio. Hæc item quæ fusius sunt dicta, ut acta Reginæ nostræ, tanquam in bono lumine, tam foris, quam domi proponerentur publicè, & ut testata expressè veritate, minus cum adversariis haberemus negotii; hæc inquam, æquis judicibus quorum permagnum numerum, & perillustrum fidem esse spero, ad Augustissimæ Reginæ nostræ res gestas aperiendas, in eo tamen duntaxat genere de quo jam diximus abundanter, ut confido, & ubertime sufficient.

ESDRAS IV.

Magna est Veritas, & prævalet.

DE SUMMA EORUM CLEMENTIA QUI

Habendis Quæstionibus præfuerant, contra proditores quosdam; deque Tormentis quæ in eosdem, ob PRODITIONEM, non ob RELIGIONEM, exprompta sunt.

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

LECTORI

ETSI, Charissime Lector, moderata illa, mitisque, in administrandâ Reipub. Reginæ nostræ forma, quæ in regnando est hactenus usa, ipsa per se abertim facilèque respondet omnium probris, quæ in Majestatem ejus non scelerate magis, quàm falsò sparguntur quotidie, de Vi, de Tormentis, de Cruciatibus, quæ supra omnem barbaricam feritatem, quidam perditi latrones fingunt, ab ipsius Majestate nuper in pauculos proditores exprompta esse, quod convitiandi genus ortum ab iis furiosis authoribus, exceptum est postea, à sacratis scilicet illis Jesuitis, & Seminariis, ut idem illud, iidem ipsi literis, scriptis, & famosis libellis suis, tàm in transmarinas Regum Aulas foris, quàm domi in vernaculorum civium aures immitterent: ut satisfiat tamen tibi in his rebus paulo plenius, si quid fortassis, quod non suspicor, adhuc dubites, ego cum experto quodam, honesto item, & ingenuæ naturæ viro contuli, qui cum toto in hoc genere esset instructissimus, eoque ipso summam

mam haberet contra hæc tetra convitia testificandi facultatem, tum idem ille non dubitat conjunctim simul cum aliquot aliis, qui hæc eadem non minus noverant, in iis ipsis propugnandis, atque tuendis, quàm primum & contra quoscunque, existimationem fidemque suam opponere. Utque hæc eadem majorem fidei vim obtinerent, ecce tibi hæc subtexta, quæ ut omnibus sine dolo innotescerent, in publico, tanquam in arce Minervæ, proponenda censuit.

DE

DE SUMMA CLEMENTIA IN *Habendis Quæſtionibus & tractandis torturis adhibita.*

DE Eculeo igitur, ejuſdemque torturis, & quemadmodum eadem ſit à nobis applicata adverſus patriæ quoſdam parricidas, qui ſe Catholicos haberi volunt ac nominari, pro vero aſſeritur, pro certoque, ſi res ita ferat, probabitur, nihil eſſe actum ſecus, quàm ſequentibus in iis lineis ſubjungitur. Primùm, genus tormentorum ipſum totum ad eam puniendi tormendique metam nunquam perveniſſe, ſi acerbitas pœnæ juſtè excutitur, quæ à famoſis illis libellorum artificibus mandatur publicis monumentis, ad omnemque poſteritatem malitioſiſſimè propugnatur. In primiſ-

que signifer ille & præcipuus hujus factionis Dux *Campianus*, qui ab Aula Romana insidiosè in hoc regnum immissus, & latuit ubique ad conficiendos mercatus suos turpibus in antris summa cum fraude, & tanquam crepidatus ganeo, ne fortè agnosceretur ex veste persæpè oberrans per plurima regni territoria, teterrima sparserat ad commovendos civiles tumultus venena, ad idemque detergendum scelus à fonte illo pontificio, tanquam à capite assiduam operam novumque supplementum non ratò adciverat, in quo etiam ibidem ante accessum suum in has partes admodum valdè & versutè operam suam posuerat, procurata jam ad tegendas malorum civium conscientias licentia Pontificia, qua permissum illi est, eo adhuc manente regni nostri statu, ut se ad publicos mores & communem regni disciplinam componerent, maturo verò jam ulcere, sic ut ipsa Bulla qua pontifex Romanus Reginam nostram Augustissimam exhæredaverat, licitè & pleno jure posset publicari, conjunctis jam tandem proditorum viribus, reliqui in speculis ab illo dispositi, à Principe sine mora deficerent: idem hic inquam *Campianus*, antequàm cum literatis quibusdam & eruditis viris religionis

causa

causa contulerat, in quo ab iis certamine admodum Christianè tractabatur, nullis torcularis cruciatibus sic disrumpebatur unquam, quin statim ab illis tormentis solutus & ingredi posset & scribere, simulque iis, quæ confessus esset, habitis jam quæstionibus subscripsit, sicut ab ipsis manus suæ exemplis perspicuè planèque constat. Hoc item in genere & alia fertur fabula, non minus celebris sermone, quàm ipso auditu horribilis, de *Brianto* quodam, fame pene necato, qui eo impulsus est, subtracto commeatu, ut & glareæ crustis, de pariete cubiculi sui erutis, vesceretur, & aquam pluvialem per canales à tectis delapsam potaret. Rem primo aspectu omni immanitate admodum plenam, re autem ipsa, totam nugatoriam, & ex meris figmentis turpissimè concretam. Cum ita se res habeat quicquid in hoc famis genere pertulerit *Briantus*, illud se totam sponte sua & obduratissimo animo pertulisse, contra expressissimam eorum voluntatem, qui commercium In hac causa, cum illo haberent. Nam cum quædam in custodia sua scripta haberet, conspersa sceleratis proditionibus, & Reipub. item permultum interfuit, ut ad vivum excuterentur, vel conferendis exemplis, vel alio

ſumpto quocunque præſidio, quo ad expiſcandam & expediendam veritatem facilius perveniretur, mandatum eſt illi, principis nomine, ut manu ſua perſcriberet quippiam, quacunque de cauſa, & pro arbitratu ſuo ut libuerat maximè: licetque ea in principis mandato vis ineludatur, ut parere ſit officii, & non parere contra officium, nullo tamen modo eò poterat perduci homo mitis, ut vel literam unam ſcriberet, cum id poſſet etiam pulchrè ſatis & ſcienter facere. Ex quo injunctum *Londinenſis* arcis miniſtris eſt, ut eſca, potus, cæteraque vitæ neceſſaria, quæ ſcripto ſuo requiſiverat aliquando *Briantus*, paratè præberentur, quæ autem per ſcriptum ſuum non rogaret, et illi ſubtrahentur omnia. Cujus etiam mandati certior factus *Briantus*, & propterea requiſitus ſæpe à cuſtode ſuo, ut non recuſaret ſcribere, præfracto tamen in hoc propoſito perſtitit ad biduum, maluitq neceſſariis alimentis penitus carere, quàm à mente ſua immani diſcedere, donec urente jam fame, & ipſe petebat per ſcriptum quæ volebat, & à cuſtode facilè cuncta & copiosè præbebantur. Atque ut de iis duobus hæc liquent, ſic & de aliis multis eadem affirmari poſſunt. Hoc item adjuncto, præcipuam quandam in hoc genere tormentorum cu-

ram

am ſemper habitam eſſe, & propterea vigilibus & cuſtodibus arcis, quorum hoc eſt proprium eculeum & torcular tractare, ab iis ipſis, qui habendis quæſtionibus præfuerant, prudenter & cautè, ſummaque cum cura præceptum eſt, ne quo progrederentur in ſumendis pœnis longius, quàm pro cauſæ acerbitate Chriſtiana charitas pateretur.

Secundò, affirmamus ſimiliter, quod & probaturi etiam ſumus ſi id à nobis exigatur, à *Seminariorum* nemine, nec à quocunque Catholici ordinis alio quoquam, qui ob crimina quæcunque eculeo ſunt impoſiti, vel aliis torturis ullis vexati, unquam in torturis ſuis exactum eſſe ut ad conſcientiæ aut religionis cauſas ullas reſponderent, vel ut fidei reliquique Chriſtianæ doctrinæ inſtrumenti rationes ullas deponerent, tanquam exempli cauſa, quid de Miſſa ipſa, quid de Sacramentis, quid de ſimilibus ſentirent, ſed illis ſolum quæſtionibus urgebantur, cum quo hominum genere, vel foris vel domi ſe conſociarent: quæ inventa, propoſita, & formas in Rep. gerenda, ſequerentur: quid in principis perſonam, rem, vel ſtatum molientur. De legibus item publicis quid ſtatuerent, tollendásne quæ ad religionem confirmandam valerent, an retinendas eaſdem cènſerent. Tum quid

de

de *Pii Quinti* Bulla ſentirent cum ipſi, tum etiam quid aliis ſentiendum eſſe præcipiſſent, utaque de pontificia illa in omnes principes juriſdictione quid præſcriberent, qua principes nonnullos regnis ſuis inſolenter & turpiter mulctaverat, in primiſque & nominatim quouſque in pontificiam illam in Reginam noſtram perſcriptam Bullam probarent: de civium à principibus ſuis deſectione quid opinarentur. In quibus tamen omnibus exaggerandis politicum potius illum, quam religioſum interpretandi morem ſecuti ſumus, hoc eſt, nullis cuiquam injectis habenis, niſi iis ſolum, quæ Reginæ pro regni ſui nativa hæreditate potius, quàm pro jurum alio ullo vel edictorum vel legum traderentur. Quibus quidem interrrogatis & quæſtionibus omnibus, nec *Campianus* ipſe, qui ejus factionis princeps erat, nec ejus ipſius ſectæ quiſquam alius, planè & ſimpliciter reſpondebat unquam, ſed per devia quædam callidè progredientes, quærebant uſitatas proditoribus latebras, conſcientiarum ſuarum aculeo, ad Pontificiam Bullam, quæ civibus noſtris omnibus, ad tempus obſervandæ Reginæ noſtræ formulas quaſdam, admodum veterariè, præſcripſerat, cautiſſimè ſemper aſſervato.

Ex-

Exempli cauſa, ſi ab iis quæretur, num ſe faterentur regni noſtri cives eſſe, ipſique Reginæ noſtræ, cum ſibi, tum aliis, parendum cenſerent: annuebant ſtatim, nec eo in genere obſervantiæ recuſabant quiequam, hoc tamen verſutè vel perfidè potius in Reginam adjecto, quod ſibi ſic ad tempus Pontifex Romanus permiſerat. Sin ulterius urgerentur, & adjunctis pauculis immutaretur paululum ipſa quæſtio, ut, ſi prohibente Romano Pontifice, & ab hoc in Reginam noſtram officio illos retrahente, num in eodem officio tum perſiſtendum ſibi ſtatuerint: confeſtim vel parere Reginæ recuſabant, vel obſtinate reſpondebant nihil, vel ad tertium profugium devolabant, ita ſe aſtrictos ea quæſtione teneri, ut eidem non poſſent omnino ſine periculo ſummo reſpondere. Quod reſponſi genus, hanc videtur in ſe vim complecti, tandiu ſe ſuoſq; in Reginæ noſtræ poteſtate fore, quamdiu idem illud ſibi ſuiſque bona cum Pontificis Romani venia tenere permitteretur. Ipſoque pro tribunali, cum rei eſſent, in eoſque publicè ageretur aliquid, mirificum eſt, quàm laborarent, quam ſudarent, ut in aſtantis plebis animis conſtantem opinionem infigerent, relicto tanquam venenato ibidem aculeo,

aculeo, ſe morti deſtinatos, non propter ſeditioſos tumultus, non propter conſpirationes; ſed propter ſacra, propter religionem, divinumque cultum, teterrimè morti addictos, ſublatis item artificiosè ſtatim, ut conſcientiæ ſuæ teſtibus, ſummis clamoribus, bonos ſe cives eſſe, & in debita erga principem fide obſervanter ſe perſiſtere. Quo tuendi ſui artificio attoniti ferè Reginæ conſiliarii, eruditi, & in legibus periti, quorum in ejuſmodi cauſis opera contra hoſtes ſuos Principes noſtri ſolent uti, tanquam repetitis ſuperioribus argumentis, requirebant ut punctim & ſine mora atque uno verbo reſponderent, num etiam prohibente Romano Pontifice permanendum ſibi in eadem obſervantiæ formula planè & præcisè exiſtimarent? Omnes conticeſcunt, tanquam teſtes in ſe temeritatis ſuæ, unuſq; *Campianus* pro ſodalitate ſua tota infert, non habere eam Curiam, quæ apud nos tamen honoris cauſa *Regia Sella* dicitur, & in qua ipſe *Campianus* cum ſociis ſuis reus fieret, in Romanum Pontificem juriſdictionem ullam, nec licere de ſanctitatis illius, apud nos, ſumma authoritate, forum agi quoquo modo.

Nec

Nec ab ea se tanquam ara passus est dimoveri, nec ulterius voluit respondere quicquam.

Tertiò & illud affirmo, hujus sodalitatis neminem in torcular aut eculeum impositum unquam esse, vel ab proditionem, vel ob proditionis societatem, nisi in quem jam anteà luculentis indiciis constiterat, eundem, sine exceptione ulla, & reum esse, & earum posse rerum quibus urgeretur occultissima quæque mysteria aperire, licet impudenter & obstinatè recusaret, ut nullus jam dubitandi locus requiratur, quenquam unquam vel conjecturis, vel incertis suspicionibus ad eculeum aut ad alia tormenta à nobis perductum, quod in id inquirendi genus perfacilè cadat, ut innocens, quod natura ipsa exhortet, injuriosè posset torturis imponi, & sævissimis cruciatibus vexari.

Quartò, cum minus perspicuum illud est, neminem horum unquam cruciatum ullum pertulisse, nisi idem ille tanquam *Zeno Eleates* vel aperte, vel suspiciosè pius gloriatus esset, omnia se prius perpessurum, quam consceios indicaret, licet ad id vel principis expresso mandato urgeretur. Si quis item

horum

horum tum cum quæstiones haberentur, ingenuè confessus esset, vel prorsus se eorum quæ objicerentur ignarum fuisse, vel eadem sibi penitus excidisse, eaque pro Christianorum more verbis conceptis & religiosis affirmasset, id genus responsi excipiebatur pro vero, nisi inquisitoribus id etiam prius constitisset hujusmodi rerum, contra luculentam veritatem turpiter esse mentitum. Sin respondisset enunciata à se veritate, obfuturum fortassis Catholico alicui, atque ita in Christianam charitatem delinquere, quod est grave item apud eos peccandi genus, nec Principi licere ut mandet cuiquam peccare, & propterea quantumcunque hoc in genere instaret Regina, nolle tamen eò perduci, ut earum rerum, quæ sciret, ipsam veritatem quoquo modo apperiret, idem inquam ille, ob hanc verborum formam, & ductus est, ad eculeum, & torturis cruciatus est.

Quintò, & illud perillustre est, hanc puniendi formam tam spissè à nobis, tam lente & tam cunctanter esse susceptam, adhibitis persuadendi consiliis omnibus, quibus ad enunciandam veritatem, torquendi possent facillimè perduci,

uci, primum obſervantiæ, fidei, officiiq; omnis in Principem, tum etiam Chriſtianæ in ſe membraque ſua charitatis, quam illis curam Deus ipſe commendaſſet, ut quicunque his tormentis aliquando interfuerint, eos neceſſe ſit fateri, ab ipſis torquendi miniſtris ſummam moderationem retentam eſſe, aptèque ex Auguſtiſſimæ principis formulis, quas Majeſtas ejus, in iis ſumendis pœnis illis præſcripſerat, quam item perennis Deus ob tantam clementiam, pro pari clementia ſua ſemper defendat, eſſe ab iiſdem ſuſceptam.

Ex quibus omnibus planum fit & perſpicuum, cum ex jure gentium ſemper licuerit, etiam in cauſis minus periculoſis, quæque Reipub. Majeſtatem incollumitatemque minus etiam attingerent quæſtiones habere, eculeis, tormentis, & cruciatibus omnis generis, ad exprimendam veritatem & ad frangendos malorum civium conatus uti, in iis ipſi tamen ſumendis pœnis, ad quas Auguſtiſſima contra tam acerbos hoſtes tam cunctanter acceſſit, utrunque ab animo generoſo agnoſcendum eſt, & mitis cœleſtiſque in tam clemente principe mentis ingenuitas, & probroſa quorundam

in

in ſpargendis mendaciis conſuetudo, qui ut favorem ſtudiumque ſuum in perditos & rebelles cives ſolerter explicent, non recuſant divinam hanc in Regina noſtra regnandi formam fallis coloribus petulanter oblinire, aſperſiſque fœdis maculis dehoneſtare, quod exquiſita & acerba quædam ſupplicia exprompſiſſet in eos, contra quos cum nihil poterat terrè, nihil crudeliter fieri, omnia tamen manſuetè ſunt in eos & clementer, tum inſtituta, tum perfecta.

EX

CONCERTATIONE

Ecclesiæ Catholicæ

IN

ANGLIA

Quæstiones propositæ Septem Martyribus.

Ex Concertatione *Eccleſiæ Catholicæ* in *Anglia. Fol.* 84. & ſeqq.

Quæſtiones propoſitæ Septem ſubſequentibus Martyribus, 13 Die Maii, *Anno* 1582. *& ipſorum ad eaſdem Reſponſiones.*

1. UTRUM *Bulla* Pii Quinti *in Reginæ Majeſtatem lata, Sententia ſit legitima, cui parere omnes* Angliæ *ſubditi teneantur?*

2. *Utrum Regina ſit legitima Regina, cui omnes Angli obedire debeant, non obſtante* Pii Quinti, *aut quacunque alia Bulla, ſive Sententia à Pontifice Romano lata, aut in poſterum contra Reginæ Majeſtatem ferenda?*

3. *Utrum Romanus Pontifex modo poſſit aut potuerit Comitibus* Northumbriæ *&* Weſtmerlandiæ, *aliiſque ſubditis ſuæ Majeſtatis rebellandi facultatem concedere, armave ſumendi contra Majeſtatem ſuam:*

Præterea utrum Doctori Sandero, *aut aliis quibusvis copiam facere potuerit, invadendi Hyberniam, aut alias suæ Majestatis ditiones, bellumve ei inferendi; & utrum illis hoc facere necne licuerit?*

4. *Utrum Papa habeat Potestatem absolvendi suæ Majestatis subditos, aut alicujus alterius Christiani Principis ab obedientia, & juramento præstito suæ Majestati, aut Principibus suis, ullam ob causam?*

5. *Utrum prædictus Doctor* Sanderus, *in Libro suo de visibili Monarchia Ecclesiæ, & Doctor* Bristous, *in Libro suo de Motivis (scriptis in Approbationem, Commendationem, & Confirmationem Bullæ* Pii Quinti) *verè falsève docuerint, quoad hoc ac sustinuerint?*

6. *Si Papa Bulla sua vel sententia pronunciaret Majestatem suam non esse legitimam Reginam, subditosque ab obediendi vinculo liberos declararet: item si Papa, vel quispiam alius ab illo designatus ejusque authoritate fretus regnum invaderet, quam partem sequeretur, aut quam sectam potissimum bono ac fideli Christiano Angliæ Regno subjecto sequendam esse putaret?*

Responsio

Responsio Lucæ Chirbæi.

Lucas Chirbæus ad primum respondet, hujus Articuli dissolutionem pendere à generali illa quæstione, utrum Papa possit ullam ob causam Principem deponere; circa quam Quæstionem fatetur se illius esse sententiæ, quod ob aliquas causas Papa legitimè possit Principem exuere regno suo, atque hujusmodi sententiæ esse obsecundandum.

Ad secundum, putat in aliquibus casibus (ut est infidelitas, &c.) non esse Majestati suæ præstandam obedientiam, contra Pontificis Bullam, sive Sententiam; illamque potestatem sæpiùs à Pontifice in Principes usurpatam confirmat.

Ad Tertium ait, se non posse respondere.

Ad Quartum, respondet Papam ob infidelitatem habere hujusmodi potestatem, cujus fit mentio in hoc Articulo.

Ad Quintum, putat tam Doctorem *Sanderum*, quam Doctorem *Bristoum* potuisse in his punctis falli: an vero decepti fuerint, necne, Deo relinquit.

Ad Ultimum, ait se tunc primum debere consilium capere, quid sibi faciendum foret, cum illud quod proponitur, accideret.

Lucas Chirbæus.

Johannes Popham, *Da. Lewes.*
Thomas Egerton, *Johan. Hammond.*

Responsio

Responsio Thomæ Cottami.

THomas *Cottamus* ad Primum ait, se in his & omnibus aliis Quæstionibus credere, quemadmodum Ecclesia Catholica (quam Romanam intelligit) eum docet, nec aliam responsionem dabit ad cæteros articulos.

Per me Tho. Cottamum *Sacerd.*

Johannes Popham, *Da. Lewes,*
Thomas Egerton, *Johan. Hammond.*

Responsio Laurentii Richardsoni.

LAurentius *Richardsonus*, ad Quintum Articulum respondet se approbare doctrinam Doctoris *Sanderi*, & Doctoris *Bristoi*, in quibus convenit cum Doctrina Ecclesiæ Romanæ.

Ad primum Articulum & reliquos omnes ait se profiteri, obedientiam suæ Majestati in omnibus rebus, quæ non repugnant Catholicæ Religioni, esse præstandam, in aliis se non aliud quam quod Romana Ecclesia doceat sentire.

Laurentius Richardsonus.

Johannes Popham, Da. Lewes,
Thomas Egerton, Johan. Hammond,

Responsio Thomæ Fordi.

Thomas Fordus ad primum, ait se non posse respondere, quia non intelligit Circumstantias Bullæ; quod si videret Bullam publicatam à *Gregorio* 13. suam de illa sententiam explicaret.

Ad Secundum, respondet Papam habere auctoritatem deponendi Principem ob quasdam Causas: cum ergo talis Bulla in suam Majestatem pronuntiabitur, tunc se responsurum ait, quod sit officium subditorum & quod jus suæ Majestatis.

Ad

Ad Tertium, ait se esse hominem privatum, nec velle ad eas quæstiones respondere.

Ad Quartum, dicit Pontificem habere potestatem eximendi subditos ab obedientia Principi debita, ob causas quasdam quas ipse nolit in præsentia recensere.

Ad Quintum respondet Doctorem *Sanderum* & Doctorem *Bristoum* esse viros doctos; qui utrum rectè in libris suis nominatis in Articulis docuerint, necne, respondeant ipsi, sibi non esse propositum pro aliis, sed pro se solo loqui.

Tho. Fordus.

Johannes Popham, David Lewes.
Thomas Egerton, Johan. Hammond.

Responsio

Responsio Johannis Sherti.

Johannes Shertus ad omnes Articulos respondet, se Catholicum esse, nec in ullo puncto à Catholica fide discrepare, aliter negat se responsurum ad Articulos propositos.

Johannes Shertus.

Johannes Popham, Da. Lewes,
Thomas Egerton, Johan. Hammond.

Responsio Roberti Johnsoni.

Robertus Johnsonus ad Primum, negat se posse respondere.

Ad Secundum, dicit se nescire, quam potestatem habeat Papa circa puncta proposita in hoc Articulo.

Ad

Ad Tertium, putat Papam certis de causis posse liberare subditos ab officio, & obedientia alioquin debita Principi.

Ad Quintum, dicit responsionem ad hunc Articulum pendere à Justitia & Æquitate causæ, ob quam causam summus Pontifex in illum tulerit sententiam, nam si causa justa fuerit, existimat Doctrinam D. *Sanderi*, & Doct. *Bristoi*, veram esse. Utrum verò causa fuerit justa, necne, non esse suum judicare.

Ad Sextum respondet, si hujusmodi privatio aut invasio fieret pro re temporali, se adhæsurum Regiæ Majestati, ejusque partes secuturum, sin autem pro negotio religionis, existimat sibi necessario ab summi Pontificis causa standum esse.

Rob. Johnsonus.

Johannes Popham, *Da. Lewes.*
Thomas Egerton, *Johan. Hammond.*

Responsio

Responsio Wilhelmi Filbii.

Wilhelmus Filbius ad Primum respondet Pontificem habere Authoritatem quemcunque de principatu dejiciendi, ejusque sententiæ, si promulgaretur, subditos Principum obedire oportere. Quod verò ad Bullam *Pii Quinti* attinet, dicit se nihil asserere posse; si tamen ejusmodi erat cujusmodi affirmatur esse, se illum approbare, eique parendum esse.

Ad Secundum, respondet quæstionem esse difficilem, & propterea negat se posse respondere, (nisi rem diligentius perpenderit) aliter quam ad primum.

Ad Tertium nescit quid dicat.

Ad Quartum, respondet Papam non posse dare subditis facultatem arma sumendi contra Reginæ Majestatem, aut non præstandi obedientiam illi, quamdiu Regina manet; si autem illam spoliaret regno, aut deponeret, tum posse absolvere subditos ab obedientia, quam illi anteà debebant.

Ad

Ad Quintum, respondet, se non acturum de Doctrina *Sanderi*, vel *Bristoi*.

Ad Sextum dicit se tunc responsurum, cum fuerit oblatus casus, & si fuisset in Hybernia, cum Doct. *Sanderus* ibidem adesset, ait se facturum fuisse, quemadmodum decuisset Sacerdotem fecisse, nimirum orasset, ut æquius suum locum occuparet.

Will. Filbeus.

Johannes Popham, David Lewes,
Thomas Egerton, Johan. Hammond.

De

De Jacobo Fenno Sacerdote. Ex Concertatione Ecclesiæ Catholicæ in Anglia, Fol. 153, 154.

CUM iis qui rerum in *Anglia* potiebantur, è republica esse videretur, ut aliqui ex Sacerdotibus ad terrorem cæteris incutiendum ultimo supplicio afficerentur. *Jacob. Fennus*, vir sanctus, una cum aliquot aliis Presbyteris eorum imperio ad examinatores perductus fuit. Qui cum ei multa rerum capita (uti moris est) proposuissent, ille summatim se Catholicum esse respondit & nullum esse fidei Catholicæ Articulum, pro quo non vellet vitam & sanguinem libenti animo profundere.

De Authoritate sedis Apostolicæ interrogatus, ingenuè professus est, eam sedem jus & authoritatem habere in omnes Christiani nominis Principes.

Tum

Tum rursum interrogabant eum, quid de ea re sentiret, an Papa Reginam jure regni privare posset; & si is ea de causa Bellum Reginæ aut Regno moveret, quarum partium esse vellet. Ad quod ille eorum fidem obtestatus (idque non semel, sed sæpissimè) submissè petivit, ut ejusmodi quæstiones missas facerent, quæ nihil aliud spectarent, quam sanguinem & cædem: illud iis sancte asseverans, sese, uti verum Ecclesiæ Catholicæ membrum & sedis Apostolicæ filium, ita & Reginæ ac Coronæ Anglicanæ subditum esse, patriis legibus per omnia, ita ut civem probum decebat, obtemperantem.

Quam ejus responsionem, licet pietatis & officii plenam, cum illi nullo modo admitterent, sed urgerent omninò, ut disertis verbis ad rem propositam responderet: Bene, inquit, vita mea est, quam quæritis, vita me privare statuitis, & ego veritati astruendæ vitam libenter impendo. Meam igitur responsionem sic accipitote: Papa Reginam Angliæ & quemvis alium Principem Christianum, qui sedis Apostolicæ Authoritati in gubernanda Ecclesia obsistit, omni regnandi jure privare potest: quod cum facit, meum

um est Ecclesiam audire, ejus decreto obtemperare. Et si Regina in eo persistere velit, ut Ecclesiæ Christi adversetur, ipsa sibipostem perniciemque machinatur. Nam futurum est plane ex divina ipsius Christi promissione, ut Ecclesia demum superior evadat, & ipsa cum suis corruat: nec ulla erit vis humana vel etiam astutia tam grandis, quæ decidentem suffulcire, & à ruina prohibere poterit, itaque cum illi ruendum erit, omnino ruitura est: atque hunc rei exitum habebit. Quod ejus responsum continuò per totam urbem divulgatum erat, ita ut in omnium ore esset *Jacobi Fenni* Elogium: Cum illi ruendum erit, omnino ruitura est: atque hic erit rerum Finis.

TRINITY COLLEGE LIBRARY CAMBRIDGE

FINIS.